NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08184239 9

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

(Jablonski)
*OBL

~~316.E~~

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLI ERNESTI IABLONSKI,

DE

MEMNONE GRAECORVM,

ET

AEGYPTIORVM,

HVIVSQVE

CELEBERRIMA IN THEBAIDE STATVA

SYNTAGMATA III.

CVM FIGVRIS AENEIS.

NEW-YORK LIBRARY NEW-YORK

Francofurti ad Viadrum.

IMPENSIS IOANNIS CHRISTIANI KLEYB.

MDCCLIII.

Digitized by Google

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

Digitized by Google

ILLVSTRI ET CELEBERRIMO

VIRO

FRIDERICO OTTONI MENCKENIO,

PHILOS. ET IVRIS V. DOCTORI,

POTENTISSIMO SARMATARVM REGI ET PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE, A CONSILIIS AVLICIS, VRBIS LIPSIENSIS SENATORI AMPLISSIMO, SOCIETATI SCIENTIARVM REGIAE BEROLINENSI ADSCRIPTO

FAVTORI DE SE OPTIME MERITO PACEM ET SALVTEM A DOMINO PRECATVR

PAVLVS ERNESTVS IABLONSKI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Non ignoras, Vir Illuſtris, me anno ſuperiori, graviſſimas ob rationes, chartarum mearum, ad res veteris Aegypti Sacras et ciuiles ſpectantium, quas ab annis quadraginta et amplius, horis quibusdam ſubceſiuis, in vſum meum congeſſeram, iacturam ſponte et vltro feciſſe. TVA enim a multis annis cognita mihi beneuolentia et amicitia effecit, vt hoc omne, quicquid eſt, in ſinum TVVM effuderim. Vnicam tamen hancce, ex illo naufragio tabulam ſeruaui, eo quod iuris mei non eſſet;

verum TIBI omnino deberetur. TIBI igitur eam offero, etenim TVA eſt, non mea. TV enim, vt operam hanc in me ſuſciperem, ante plures annos, neque ſemel, me hortatus es. TV vt ea commode, et vberiori cum fructu defungi poſſem, pretioſum, et rarum in noſtris hiſce oris, POCOCKII Opus, ſumtibus TVIS ex Anglia aduehi curaſti, eiusque vſuram, per temporis idonei et bene longi interuallum, perbeneuole mihi indulſiſti. TV denique, vt iſtud meum Schediasma, lucem nunc viderit, auctor, ſuaſor, et

Pro-

Promotor extitiſti. Taceo tot alia impenſi fauoris et affectus, quae in me extare voluiſti, documenta, etſi nulla vnquam aetas ea in pectore meo obliteratura ſit. Experientia namque magiſtra ſatis intellexi, commemorationem TVORVM beneficiorum, praeſertim publicam, haudquaquam auditu TIBI iucundam; ſed moleſtam potius eſſe, importunamque videri. Non poſſum tamen, quin etiam hic, pro illis omnibus, TIBI me vehementer obſtrictum eſſe profitear, gratiasque agam debitas ac maximas, quas alte animo meo infixas, re ipſa habere

non

non desinam, donec spiritus meos artus reget. TE vero Vir Illustris, eruditae nostrae Germaniae et Lipsiae TVAE, decus insigne, Deus O. M. diu sospitet ac conseruet, vt Rempublicam literariam, quae inclyto nomini MENCKENIANO, a tam longo tempore tantum debet, sicuti hactenus feciſti, ornare porro, nouisque semper et desideratissimis TVIS muneribus locupletare possis. Dabam Francofurti ad Viadrum D. XVI. April. MDCCLIII.

PRAE-

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

Non opus eſt, B. L. vt argumentum, cui in hoc Commentario illuſtrando operam dedi, multis et prolixe Tibi commendem. Quis enim eſt, ſtudiis hiſtoriae antiquae, omnisque humanitatis paulo diligentius imbutus, quem fugere poſſit, quam celebris, quantoque in pretio apud veteres fuerit Memnonis ſtatua Thebaea, Statua, quam Cambyſes, ferox Perſarum rex, ante annos bis mille circiter et trecentos, mutilari iuſſit, et quae ab illo tempore, ad noſtram vsque aetatem, in eodem fere ſtatu permanſit. Quod vbi cogitationibus voluo, riteque perpendo, non poſſum non ita iudicare, inter Statuas celebres omnes, quarum apud veteres aliqua mentio occurrit, quarumque ad hoc noſtrum aeuum aliquid ſuperſtes remanſit, non inueniri aliam, quae Coloſſi Memnonii aetatem attingat, nedum ſuperet. Eſt profecto et antiquiſſimum, et pretioſiſſimum artis veterum Aegyptiorum, aut potius veterum in vniuerſum, Monumentum. Magna certe iam ante Cambyſae tempora, extitit Coloſſi huius gloria, quod

teſti-

annis D. XVII. Februar. habendam, hoc anno Ciues Academiae noſtrae inuitauit, de vno et altero horum Epigrammatum, quaedam diſſeruit, quae hic omittere non licet. Et ibi quidem primo Epigramma illud latinum tangit, quod in Synt. III. p. 84. 85. legitur. De quo iſta obſeruat: "Praeter Ora"tores etiam impoſtorum erat, hac ratione improuidis homi"nibus fucum et nebulas vendere, vt vel ex Statua Memno"nis apparet, cuius effigiem nuper Pocockius curioſiſſimus in"ter Britannos nobis exſcriptam dedit, quaeque Lipſiae, vt "audio, recuditur, nec ſine doctiſſimo Commentario Iablons"kii noſtri: cuius Latinas Inſcriptiones quasdam, quum mihi "pro Studio quo me ornat, beneuole communicaſſet, vidi Sta"tim in Inſcriptione Petronii, Praefecti Aegypti, vt idem ſci"te emendat, in pentametro, qui ibidem pro clauſula additus "eſt, VOX AVDITA MIHI EST PERBENE MEMNONIA. "Nam *per* ibi obliteratum vetuſtate eſſe, ſiue adſcriptum eſſet "totidem literis, ſiue in literae B aliquo tractu, marmorarii ſolo "compendio deſignatum, ex conſpectu tabulae patebit, quod "ego per coniecturam tantum ſuſpicabar. Quum enim Petro"nius ibi Memnonem loquentem induxiſſet, quaſi ad dormito"res et ignauos, qui lectulum aegre relinquerent mane ſurgen"te Aurora, quid ſibi eueniat, quotiescunque primam vel ſe"cundam horam ortus ſui ſideris, nempe toto Oceano tum "plenum diem nitere, lectori ſuo perſuadere vult, ſibi hoc ex"auditum eſſe non languido et fallenti ſono, ſed *perbene*: ex "quo concludimus, non eodem modo ab omnibus, ſed ab "aliis aliter et diſtinctius vocem Memnonis auditam, quae"cunque fabrica doli vel magicae Theurgiae interuenerit ſacri"ficulorum calliditate et artificio, vel in auribus hominum, "vel intra Statuae Structuram, quum piae fraudes paſſim in ta"libus et licentiam ſibi ſumſerint et aliis fecerint. Quid vocis "autem iſtud eſſet, poſt id aetatis nunc detegere velle, teme-

"ritatis foret. Pythagoras ac Socrates talia libenter ad "Daemones deferebant, quod prior etiam de tinnitu au- "rium ſanciebat, teſte Aeliano Var. hiſt. IV. 17." Mox vero vir ille doctiſſimus ad illuſtrandam aliam Inſcriptionem graecam, Iambicis verſibus conſtantem, pergit. Nam poſtquam de voce ὅσιος, cui vocem germanicam *Wiſe*, quae nunc *Weiſe* effertur, reſpondere cenſet, peracute diſſeruiſſet, haec continuo addit: "Et iſtud ὅσιον vel "ὁσίαν nunc libentius eligerem admitteremque pro eo "quod initio malueram ἄϊσον, in carmine graeco ΑΥΔΗC "ΤΟ ΠΡΟCΘΕΝ Statuae Memnoniae, licet clariſſimus "interpres eiusdem AICION praeoptaret prae τῷ ἄϊσον, et "veſtigia veteris ſcripturae ipſi potius quam mihi addice- "rent: quoniam niſi aliud nomen coniungatur cum τῷ "φθέγματα, interpoſitum καὶ frigide inſertum videri poteſt: "et Aegyptiorum vel Alexandrina pronuntiatio iſtius vo- "cis (ὅσιος) videtur mihi voci germanicae *Wiſe*, pro quo "hodie *Weiſe* dicimus, iam tum accommodaſſe aliquid in "vocalibus, quas metatheſi variaſſe dixi, licet parui mo- "menti videatur iſta diſſenſio. Ego autem libenter etiam "melodiam vocis ad conſultorum aures dimanaſſe credide- "rim, hoc eſt, non ſimplicem ſonum, ſed compoſitum, "vt melodia ſimul et mens oraculi dici poſſit, cuius in- "tellectum ſecum communicatum iactat auctor Inſcriptionis "a Natura δημιούργῳ τῶν ὅλων."

Vt autem B. L. haec tanto melius intelligat, paucis monendum eſſe duxi, in Epigrammate graeco, de quo diſſeritur, quodque in Commentario noſtro p. 91. edidimus, verſum quartum, a POCOCKIO, vti illum in Statua Memnonia legendo aſſequi potuit, hoc modo fuiſſe deſcriptum:

AICOH INAPATω NOω KAI PΘEΓΓMATA

Quae ſic non incommode legi poſſe autumabam.

AICION . INA KATNOΩ KAI ΦΘEΓMATA.

Ad hanc enim lectionem veſtigia Scripturae, in Statua hodie extantis, et in Apographo Pocockiano reperiundae, manu me veluti ducebant. Vir autem eruditiſſimus malebat initio legere AICTON, et poſtea OCION, vel OCIAN, docte profecto et ingenioſe. Verum hanc in rem tota viri celeberrimi obſeruatio de vſu vocis ὅσιος, quam Programma lectu inprimis dignum complectitur, legenda et curate perpendenda erit. Recte vero idem obſeruauit, particulam καὶ in verſu illo frigide inſertam videri. Eodem modo ego quoque iudicaueram, ideoque alias verſum huncce legendi vias et rationes propoſueram. At vbi omnia ſeria tandem et vltima aeſtimatione expendenda mihi erant, atque cum veſtigiis ſcripturae veteris, vti eam POCOCKIVS conſeruauit, curate conferenda, in ea quam Commentarius exhibet, lectione, mihi acquieſcendum eſſe exiſtimaui. Iudicet ea de re doctus et cordatus lector pro lubitu. Id tantum addo, Epigrammata in Statua Memnonis legenda, mihi quidem videri non ſemper ſummos in re poëtica prodere artifices et magiſtros.

In Commentario meo * ſubinde mentionem inieci *La Crozianorum*, eorumque edendorum Lectori ſpem feci. Haec ſuperiori aeſtate ſcripſeram; verum ſuperuenere mox quaedam, quae me, vt conſilium hoc, aut plane abiicerem, aut in aliud ſaltem tempus differrem, non inuitum adegerunt. Quoniam vero omnia, quae a manu incomparabilis La Crozii profecta ſunt, nomenque eius praeferunt,

* v. g. p. 39. et p. 100 in notis.

runt, in magna apud eruditos sunt existimatione, desideriumque non leue excitare solent, operae pretium me facturum speraui, si, quomodo *Miscellanea* haec *La Croziana* comparata sint, breuibus exposuero. Non moris erat beato illi viro, de vno aliquo argumento, multa operose congerere, et in vnum compingere, ad eum nempe modum, quo eruditi nostri saepe Collectanea sua Miscellanea conficere solent. Ego certe, quo per longam annorum triginta seriem, valde familiariter vsus est, nunquam in Museo eius, huius generis quidquam vidi: neque etiam post mortem eius, haeredes tale quid repererunt. Tantum memoriae suae, tenaci sane confidebat. Vt tamen illam aliqua subleuaret, ex Scriptoribus, quos attentione singulari, a capite ad calcem perlegebat, ea quae in rem suam facere existimabat, nullo alio, quam lectionis ordine seruato, prout se illi offerebant, paucis verbis notare consueuerat, nonnunquam etiam de rebus obseruatis iudicio suo adscripto, quamuis rarius. Eiusdem generis sunt *La Croziana*, quorum editionem pollicitus sum. Continent Excerpta ex Scriptoribus plurimis, vetustis plerumque, aut medii aeui, *Herodoto*, *Diodoro*, *Pausania*, *Plutarcho*, *Athanasio*, *Eusebio*, *Theodoreto*, *Synesio*, et similibus aliis. Miscellanea isthaec plerumque parum copiosa, Vir quondam illustris, CAROLVS STEPHANVS IORDANVS, Bibliothecae La Crozianae totius et ex asse haeres, per amplissimum IO. LVDOVICVM VHLIVM, nunc Vniuersitatis nostrae ICTum multo celeberrimum, cuius opera, eruditis satis nota et perchara, in edendo *Thesauro Epistolico La Croziano*, aliisque eiusdem pretii Scriptis, vsus iam erat, ante annos decem, communicari mecum eo voluit, vt dispicerem, num quem ad contexendam aliquam *La Crozianorum* farraginem vsum praestare possent. Volebat insuper,

insuper, vir ipse illustris, ea quae La Crozius ad margines librorum Bibliothecae suae plurimorum, et nonnunquam satis largiter, alleuerat, cura sollicita describere, vt cum meis *La Crozianis* sociata, iustum volumen conficere possent. At enim egregium huncce viri illustris conatum, non sine magno Reipublicae literariae damno, languor primo corporis valde tristis, ac deinde mors praematura, intercepit. Quod vero ad *La Croziana* curae meae credita attinet, cum ea oculo tantum fugitiuo perlustrassem, inque iis nil nisi excerpta breuia, ex Scriptoribus mihi non ignotis, ac praeterea obseruationes quidem nonnullas; sed pauciſſimis verbis, et non a quouis intelligendis, comprehensas, offendisse mihi viderer, ad tempus ea sepolui. Credebam me Manibus viri optimi, cuius memoria mihi semper cara erit et venerabilis, iniuriam esse illaturum, si ea, quae in suos tantum priuatos vsus descripserat, quorumque publicationem ipse profecto, si viueret, indignaturus esset, ego tamen publici iuris facerem. Quod si ea quae animo voluebat illustris Iordanus perfecta fuissent, et meis *La Crozianis* decus pretiumque addidissent, Spartam mihi impositam pro virili ornare non detrectassem. At cum mors viri illius flebilis, consilia haec penitus euertisset, iacuerunt ea, quae penes me erant, neglecta, et de iis plane amplius non cogitaui, praesertim vbi breui post, alia post alia superuenerunt negotia, quae omnem mentis meae aciem sibi vindicarunt, et antecedentium memoriam e pectore pepulerunt. Et mansissent profecto *La Croziana* illa, perpetua quasi obliuione obruta, nisi anno superiori, rumor iam antea clanculum, nescio per quos sparsus, ad aures etiam meas peruenisset, me schedas quasdam Beati LA CROZII in manibus habere, iisque in conscribendo *Pantheo* meo vsum fuisse. Suspicionem hanc, natam forte ex quibusdam

busdam haud recte acceptis *Thesauri La Croziani* locis, omni prorsus destitutam esse fundamento, sancte testor, et testaretur idem, si viueret, illustris Bibliothecae La Crozianae haeres. Praeter literas, quas ad me plusculas dedit optimus La Crozius, quarum vsuram aliis non inuidi, schedas aliquas, ad res Aegyptiacas spectantes, e manu ipsius nunquam accepi. Quoties igitur in scriptis meis editis, obseruationum a doctissimo hoc viro mecum communicatarum memini, facio autem id persaepe, aut clare significo, aut non obscure subinnuo, me eas vel ex literis ad me datis hausisse, vel ex ore ipsius olim coram percepisse. Poteram, si res tanti esset, rationibus aliis, et bene multis, ostendere, suspicioni huic solidi plane nihil subesse. Etenim Scripta viri huius omni laude maioris, quae edita sunt, abunde testantur, notiones eius de Theologia Aegyptiorum, a meis vehementer differre. Sed ea quae dixi, omnium maxime et prorsus inuicte demonstrant *La Croziana*, quae apud me diu latitarunt non lecta, quae si iam dudum lucem adspexissent, suspicioni de me et conatibus meis iniquiori, locum relinquerent plane nullum. Nam cum occasione illius, quem commemoraui, rumoris, *La Croziamorum* meorum recordatus essem, eaque maiori cum attentione, quam antea, relegissem, plura quidem ad literaturam Aegyptiacam spectantia illic obseruaui, quibus etiam, dum conscriberem *Pantheon*, vti potuissem, et luce non omnino indigna; sed et illud non potui non animadvertere, virum praestantissimum, et ad ornandas literas natum, cum rebus aliis, et sine dubio melioribus, intentus esset, ad eruendam et studio exquisito illustrandam Theologiam Aegyptiorum, animum nunquam appellere, aut voluisse, aut potuisse. Multa ibi occurrunt nomina Deorum veteris Aegypti, ex *Herodoto*, *Diodoro*, *Plutarcho*, Scriptoribus-

ribusque huius generis aliis decerpta, quae plane non explicantur. Et conceptis verbis nonnunquam profitetur vir egregius, ſibi de hoc vel illo nomine nihil conſtare. Alia nomina re ipſa hinc inde interpretatur, *Athor* videlicet, *Cnuphis*, *Oſiris*, *Amun*, *Horus*, *Serapis*, *Iſis*, *Sothis*, *Apis*, *Nephthys*, *Aſo*, et ſimilia; ſed interpretationes illae videntur extemporales, ad ſolum vocum Aegyptiacarum, vti a Graecis referuntur, ſonum conformatae, et quae, me quidem iudice, rei minime ſatisfaciunt. Si vir ingenii rari et vere excellentis, ac tanto inſuper ſolidae eruditionis apparatu inſtructus, argumentum hoc debita mentis contentione, et pro virili ornare in ſe ſuſcepiſſet, nullus dubito, eum conatus hac in re, non meos tantum; ſed et aliorum omnium, longo interuallo poſt ſe relicturum fuiſſe. Aſt ille, ſpreto hoc labore, ſane quam moleſto, alia omnino mente ſua voluebat ac moliebatur. Id editio *La Crozianorum*, olim fidei meae concredita, palam feciſſet omnibus, ideoque anno ſuperiori, quod et in Commentario meo ſignificaui, operi huic manum admouiſſem, niſi noua, quae interuenerunt, impedimenta, cogitationes has interturbaſſent. Id igitur me commouit, vt *Miſcellanea* haec *La Croziana* Ampliſſimo et amiciſſimo Vhlio, ea fide, qua mihi quondam illa tradiderat, nunc redderem, ipſumque rogarem, vt eorum edendorum, et ornandorum, ſi qua ſe offerret commoda occaſio, curam in ſe ſuſcipere vellet, quod nec, qua eſt humanitate, mihi denegauit.

Quandoquidem folia typis deſcripta, antequam editio tota abſoluta eſſet, huc ad me Lipſia transmiſſa fuere, egoque illa relegi, quaedam offendi feſtinanter nimis in chartam a me coniecta, de quibus Lectorem monendum eſſe duxi, vt ea corrigere queat.

P. 17.

P. 17. not. ** in verbis SERVII, recte legitur *ad Troiae miſit auxilium.* Emendatio, quam aliud omnino agens, Lectori illic obtuli, textum non corrigit; ſed inquinat.

P. 19. lin. 17. pro *cum Antilocho* ſcribendum erat *cum Memnone*, quod nexus rerum per ſe docet.

P. 53. lin. 7. Scripſi *Hecataeo Mileſio*, vti et p. 102. et 108. quibus omnibus in locis, non *Mileſium*; ſed *Abderitam*, iuniorem, in animo habebam.

P. 103. fin. *cubitum* cum *pede* perperam confudi. Nam cum DIODORVS pedem Statuae Memnoniae *ſeptem cubitos* vel *vlnas* excedere ſcribat; POCOCKIVS vero eidem *nouem decemque pedes noſtros* tribuat, dixi menſuram hanc, priorem illam DIODORI ſuperare, quod excidere mihi potuiſſe, valde miror. Contrarium namque verum eſſe, nunc ſponte et libenter agnoſco. Sed ſi rem ipſam ſpectes, ea quae ibidem ſequuntur pro me militant. Sunt autem haec. *Si conſideres, non per omnia inter ſe conuenire, veterum noſtrorumque recentiorum modulos menſurarum, abſurdum non fuerit dicere, menſuram Diodori a Pocockiana non ita longe diſcedere.* Id enim verum puto.

P. 111. attuli ex Statua Memnonia Inſcriptionem graecam ΘΕΙΟΤΑΤΟΥ, &c. de qua id monere oblitus eram, verba a me allata, conſtituere hexametrum, etſi quae illic praecedunt, mirifice tamen inquinata, metrum non redoleant.

Dum illa folia diligenter relegi, quosdam etiam Operarum errores animaduerti, quos inter eos, qui lectori negotium faceſſere, aut ſenſum turbare poſſent, hic annotandos eſſe duxi.

Pag. 2. lin. penult. pro CATVLLVS lege Q. CATVLVS.
P. 10. l. 17. pro *quidam* lege *quidem.*
P. 16. l. 9. *quam bene* lege *quod bene.*
P. 33. not. * ad verba, *Vide Iosephum L. I.* Adde *aduersus Apion.*
P. 49. lin. 24. Ad verba, *de longaeuitate Macrobiorum* adde *aperte aduersantur.*
P. 50. lin. 19. pro *non ego* lege *non nego.*
P. 82. lin. 6. a fin. ad verba *aut clare affirmant*, adde *aut subinnuere videntur.*
P. 91. lin. 4. a fin. in versione Epigrammatis graeci v. 2. pro *familiariter*, lege *familiares.*
P. 100. lin. 16. pro *illiusque* lege *illique.*
P. 105. init. pro *Syenite* lege *Syenitae* in casu secundo.
P. 106. lin. 10. pro *Nam non*, quod sensum magnopere turbat, lege *Num non.*
P. 109. lin. 3. pro *fuerint* lege *fuerintne.*
P. 114. lin. 21. pro *habere* lege *haberi.*

Atque haec sunt, que Te B. L. antequam ad lectionem Syntagmatum meorum Te accingeres, scire volebem. Tu vero vale, et conatibus meis faue. Dabam Francofurti ad Viadrum D. XVI. Aprilis MDCCLIII.

CON-

CONSPECTVS
Argumentorum et Capitum.

SYNTAGMA I.
De Memnone Graecorum.

CAP. I. De Memnonis Graeci genere.
CAP. II. De Memnonis Graeci patria et forma.
CAP. III. De Memnonis Graeci aetate rebusque gestis, ac morte.
CAP. IV. De Memnonis Graeci sepultura, honoribusque, quos post mortem consecutus est.

SYNTAGMA II.
De Memnone Aegyptio, siue Amenophi.

CAP. I. De nomine Memnonis Aegyptii, Amenophi.
CAP. II. De loco vbi regnauit Amenophis, deque eius aetate.
CAP. III. De vita Amenophis Aegyptii, deque rebus ab eo gestis.

SYN-

CONSPECTVS.

SYNTAGMA III.

De Statua celeberrima Memnonis Aegyptii, ſiue Amenophis, et Oſymandyae.

CAP. I. De magna, in qua Statua haec apud veteres fuit, exiſtimatione.
CAP. II. De loco, vbi Statua Amenophis, vel Oſymandyae ſpectanda fuit.
CAP. III. De Statua Amenophis ſive Oſymandyae, eiusque materia, forma, et magnitudine.
CAP. IV. De voce mirabili, a Statua Amenophis quotidie edita.
CAP. V. De nomine Oſymandyae, quo Statua Memnonia ab Aegyptiis olim deſignari conſueuit.
CAP. VI. De Amenophis, ſiue Oſymandyae diuinitate.

SYN-

SYNTAGMA I.

De

Memnone Graecorum.

CAPVT I.

De Memnonis Graeci genere.

Graeci Memnonem fingunt filium Aurorae. §. 1. Fabulae huius ſenſus arcanus inueſtigatur. §. 2. Memnon a Graecis perhibetur etiam filius Dici. §. 3. Pater ei a Graecis aſſignatur Tithonus Aurorae maritus. §. 4. Paucorum quorundam a prioribus diſſenſus. §. 5.

§. 1.

Memnoni ſuo, heroi temporis fabuloſi, originem fabuloſam aſſignant Graeci. Fabulantur enim, Auroram, cui et corpus et ingenium foeminae affingunt, eum partu in lucem edidiſſe. Ita ipſum HOMERVM, Poëtarum omnium patrem et principem ceciniſſe videmus, Odyſſ. Δ. v. 187. *Graeci Memnonem fingunt Aurorae filium.*

Μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Ἀντιλόχοιο
Τὸν ῥ' Ἠὼς ἔκτεινε φαεινῆς ἀγλαὸς Υἱός.

Recordabatur etiam animo ſuo, eximii Antilochi,
Quem ſcilicet Aurorae interfecit ſplendidus filius.

Quibus verbis designari Memnonem, Aurorae quippe filium, et res ipsa loquitur, et veteres quoque Homeri interpretes qui extant, observare non neglexere. HOMERVM sequuntur Poëtae graeci reliqui, quos inter PINDARVS *Olymp.* II. Memnonem vocat Ἀῶς παῖδα, *Aurorae filium*, et *Nem.* Od. VI. verbis HOMERI vsus, Φαεννᾶς υἱὸν Ἀῶς, *splendidum Aurorae natum.* Iungo his DIONYSIVM *Periegeten*, cuius in *Descriptione Orbis*, hi sunt versus, v. 248.

Ἠ μὲν ὅσοι Θήβην ἐρικυδέα ναιετάουσι
Θήβην ὠγυγίην, ἑκατόμπυλον, ἔνθα γεγωνὼς
Μέμνων ἀντέλλουσαν ἐὴν ἀσπάζεται Ἠῶ.
Et qui Thebas percelebres inhabitant,
Thebas priscas, centum portas habentes; vbi resonans
Memnon exorientem suam salutat Auroram.

Quibus Memnon ignotus penitus non est, facile intelligunt, respici versibus his ad celebratam tot veterum sermonibus Statuam Memnonis in Thebaide Aegypti, quae exoriente Sole vocem emisisse, eaque matrem suam Auroram, salutasse perhibetur. Audiamus et Poëtas latinos, qui post Graecos, acceptam ab iis fabulam, continuo recoquunt. MANILIVS itaque Memnonem nostrum *Astron.* Lib. I. v. 764. nuncupat

Auroraeque nigrum partum ——

Sic et VIRGILIVS Aen. Lib. I. v. 755.

Nunc quibus Aurorae venisset filius armis,

Et OVIDIVS *Metam.* Lib. XIII. v. 576.

Non vacat Aurorae, quanquam isdem fauerat armis,
Cladibus et casu Troiaeque Hecubaeque moueri.
Cura Deam propior, luctusque domesticus angit
Memnonis amissi. ——

Fabulae huius sensus arcanus inuestigatur.

§. 2. Quis vero cordis est vsque adeo plumbei, quin confestim perspiciat, fabulae huic Poëtarum allegoricae, sensum subesse arcanum, qui tamen haud ita difficulter inuestigari et in lucem protrahi poterit? Fuerunt, qui hariolarentur, Poëtas fabula hac aenigmatica, eximiam Memnonis pulchritudinem subinnuere voluisse. Aurora enim nihil pulchrius, aut quod oculis plus abblandiatur, placereue possit. Vnde CATVLLVS egregiam Roscii sui formam commendaturus, hac vti comparatione voluit.

* *Con-*

* *Conſtiteram, exorientem auroram forte ſalutans:*
Cum ſubitò a laeua Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat coeleſtes dicere veſtra:
Mortalis viſus pulchrior eſſe Deo.

Ex eo nempe Poëta Roſcium laudat, quod illius forma viſa ſibi ſit, ſplendorem ſpeciemque ipſius Aurorae ſuperaſſe. Sed de hac comparatione plura dicemus cap. II. Alii fictionem iſtam Poëtarum hunc in modum explicare malunt **, *Tithonum* Memnonis patrem, de quo mox, *in Aſia Orientem verſus militantem, ad Aethiopiam vſque proceſſiſſe, indeque fabulam de Memnone ex Aurora ſuſcepto*, originem traxiſſe. Graecis enim Ἠὼς, id eſt *Aurora*, dicitur etiam *plaga* mundi *orientalis*, quemadmodum et Latinis *Aurora*, vti in his OVIDII *Metam.* Lib. I. v. 61.

Eurus ad Auroram Nabataeaque regna receſſit:
Perſidaque et radiis iuga ſubdita matutinis.

Mihi improbabile non videtur, HOMERVM, fabulae huius, quantum nouimus, auctorem, eam e Sacerdotum Aegyptiorum lingua ſymbolica mutuo ſumſiſſe. *Amenophis* Aegyptius, quem HOMERVS cum Graecis omnibus, *Memnonem* vocat, ſiue Statua eius celeberrima, prope Thebas in Aegypto ſuperiori erecta, cum ortu cuiusuis diei, prima videlicet eius hora, ſonum emittere, eoque Auroram quodammodo ſalutare ſolebat, quod in Synt. III. cap. IV. multorum teſtimoniis confirmabimus. Eam ob cauſam Sacerdotes Aegyptii, Statuam hanc, aut Memnonem, ſiue *Amenophin*, quem ea repraeſentabat, filium *Aurorae*, vel quod hic idem eſt, *Dici*, dixiſſe videntur. Nam ſimulatque dies illuxiſſet, vox Memnonis, tanquam diei ortum cum gaudio excipientis, audiebatur.

§. 3. Et hic quidem obſeruaſſe ſuperuacaneum non erit, matrem Memnonis, quam plerique *Auroram* dicunt, a multis etiam Ἡμέραν, vel *Diem* nuncupari. Sequitur hos vetus doctusque *Pindari Scholiaſtes*, ad *Olymp.* II. p. 26. cuius haec ſunt verba ***. Μέμνων ὁ Τι-

Memnon a Graecis perhibetur etiam filius Diei.

* Apud CICERONEM *de Nat. Deor.* Lib. I. c. 28.
** DIODORVS *Siculus* Lib. IV. p. 276. Edit. Wechel.
*** Paria habent *Scholiaſtes* idem in Pindari *Nem.* Od. VI. p. 382. *Scholiaſtes* vetus *Homeri*, in Odyſſ. Δ. v. 188. et EVSTATHIVS in eiusdem Iliad. A. p. 128.

ὁ Τιθωνῦ τῦ Λαομέδοντος, καὶ Ἡμέρας· Ταῦτα δὲ λέγουσιν οἱ τὰ μεθ' Ὅμηρον γράψαντες ὕστω. Τιθωνῷ γίνονται ἐξ ἡμέρας παῖδες δύο, Μέμνων καὶ Ημαθίων. *Memnon patrem habuit Tithonum, Laomedontis filium, qui eum genuit ex Die. Haec vero, qui post Homerum scripsere, ita perhibent. Tithono ex Die duo nati sunt filii, Memnon et Emathion.* EVSTATHIVS in Homeri Odyss. Λ. p. 1697. haec notat. Δοκεῖ ὁ Μέμνων διὰ τὸ κάλλος Ἡμέρας υἱὸς εἶναι. *Videtur Memnon Diei filius dici, ob insignem formae pulchritudinem.* Et ISACIVS TZETZA, in Lycophronem v. 18. scribit. Τὸν Τιθωνὸν σύνευνον ἔχεν ἡ Ἡμέρα, ἐξ ἧς γεννᾷ Μέμνονα καὶ Ἡμαθίωνα. *Tithonum tori socium sibi adiunxit Dies, ex eoque peperit Memnonem et Emathionem.* Eodem spectat, quod DICTYS *Cretensis, de bello Troiano* Lib. VI. c. 10. memoriae prodiderit, *Himeram Sororem Memnonis, nonnullos materno nomine Hemeram appellare.* Et mox, paucis interpositis, de eadem refert, *quod post occasum Solis, cum matre Hemera, e conspectu hominum excesserit.* Ex his igitur, aliisque similibus testimoniis, quae libenter omittimus, satis apparet, in hac historia, *Auroram* et *Diem* rem vnam eandemque significare, quod et obseruatum videmus ab * EVSTATHIO. Poterit id, nisi fallor, ex sermone Aegyptiorum vetusto, illustrari. Illo namque *dies* dicitur ȿϛDDϬ *Ebo-u*, ex quo Graecorum Ἠώς, *auroram* communiter, nonnunquam vero *diem* significans, fluxisse videtur. Qui vero Memnonis matrem *Diem* potius, quam *Auroram* appellant, ad Theologiam vetustam Aegyptiorum, in primis vero incolarum Thebaidis, ac Aethiopum insuper, quibus imperasse dicitur Memnon, propius accedere mihi videntur. In antiquissima certe Inscriptione Aegyptiaca, quam ** loco alio, ex THEONE attulimus, inter octo Numina Aegyptiorum primaria, locus quoque est *Diei.* Aliam, vetustam quoque, Inscriptionem DIODORVS commemorat, p. 24. in qua Osiris dicitur συγγενὴς Ἡμέρας, *cognatus Diei.* Idemque *** ex *Orphicorum* et *Pythagoraeorum* placitis, quorum non esse originem aliam, quam Aegyptiacam, inter omnes constat, egregie illustrari potest. Suboluisse hoc videtur EVSTATHIO, qui ad Dionysium Periegeten v. 243. haec obseruat. Διὰ τῦτο Τοίνυν ἠῶ σωματικώτερον τὴν

* In Homeri Odyss. B. p. 1430. et E. p. 1527.
** In *Pantheo Aegypt.* Lib. I. cap. I. §. 12.
*** Vide ibidem.

τὴν τῦ Μέμνονος νοῦσι μητέρα, τὴν ἡμέραν, τὴν θεὰν, τὴν πρὸς τοῖς Αἰθίοψιν, — ἧς ἡμέρας ἐν ταῖς νοτίαις Θήβαις ἀνέσηκεν ἄγαλμα. *Eam ob cauſam igitur cenſent, Poëtam hic loqui de Aurora, tanquam foemina, intelligique matrem Memnonis, quam Diem vocant, honoribus diuinis ab Aethiopibus cultam. Diei huius Statua apud Thebas in auſtrali Aegypti parte poſita erat.* Eaque Statua, cuius videntur meminiſſe plures, forte etiamnum ſupereſt, vti dicemus Synt. III. cap. IV. §. 2. Aethiopes porro, quibus Memnon imperaſſe fertur, ſacra feciſſe Ἡμέρᾳ, *Diei*, etiam * LVCIANVS memoriae prodidit.

§. 4. De Memnonis matre, *Aurora* videlicet, ſiue *Die*, quid tradiderint Graecorum Poëtae, vidimus. Patrem eius, eundemque Aurorae maritum, perhibent fuiſſe Tithonum, Laomedontis, Troianorum regis filium, Priamique fratrem. Tithoni huius genealogiam talem veteres referunt. ** *In Troade primus regnauit Teucer. Huius filiam Bateam matrimonio ſibi iunxit Dardanus, qui ſuccedens in regno, ſubditos a ſe Dardanos vocari iuſſit. Natus ab hoc Erichthonius: et ab hoc Tros, Troiani nominis auctor. Natus huic Ilus, nobiliſſimam extruxit vrbem, cui Ilii nomen a ſe impoſuit. Huius Laomedon fuit filius, qui Tithonum et Priamum generauit. Tithonus in Aſia Orientem verſus militans, ad Aethiopiam vsque proceſſit, vnde fabula de Memnone ex Aurora ſuſcepto.* Addamus et haec ex ISACIO TZETZA, in Lycophronem v. 16. Ὁ Τιθωνὸς ἀδελφὸς ἦν Πριάμῳ ἀμφιμήτριος. Ὁ γὰρ Πρίαμος ἦν Λευκίππης, ὁ δὲ Τιθωνὸς ἦν Στρυμῦς ἢ Ροιῦς, τῆς Σκαμάνδρῳ θυγατρὸς υἱός. Ἀμφότεροι δὲ πατρὸς Λαομέδοντος. Φασὶ γᾶν, ὅτι τὸν Τιθωνὸν τοῦτον σύνευνον ἔσχεν ἡ Ἡμέρα, ἐξ ἧ γεννᾷ Μέμνονα καὶ Ἡμαθιώνα. *Tithonus frater erat Priami, ſed ex alia matre. Priami mater fuerat Leucippe; Tithoni vero Strymo, ſiue Rhoeo, Scamandri filia. Vterque vero Patre Laomedonte natus erat. Aiunt autem, Diem Deam, Tithonum adſciviſſe in tori ſocietatem, exque eo peperiſſe Memnonem et Emathionem.* In fabulis Poëtarum porro perhibebatur, Auroram vel Diem, Tithoni amore captam, eum ex Palatio regum Troianorum furto abſtuliſſe, et in cubile ſuum traustuliſſe. Fabulam hanc, multorum oratione celebratam, paucis hunc in modum narrat APOLLODORVS in *Biblioth.*

Memnoni pater a Graecis aſſignatur Tithonus, Aurorae maritus.

* In *Ioue Tragoedo*, Opp. To. II. p. 223. Edit. Salmur.
** DIODORVS *Siculus* Lib. IV. p. 275. 276.

Lib. III. c. XI. *Porro Tithonum, quod cum arderet, Aurora praeceptum in Aethiopiam abducit, ibique cum eo congressa, Emathionem ac Memnonem gignit.* Prolixius vero rem ita exponit antiquus *Homeri Scholiastes*, ad Iliad. Λ. v. 1. Μυθεύεται, ὅτι Τιθωνὸν τὸν Λαομέδοντος, ἐυπρεπέσατον τῶν καθ' ἑαυτὸν, ἐν Ἰλίῳ γενόμενον, ἐραθεῖσα, ἀνήρπασεν ἡ Ἡμέρα, καὶ τῆς τότε, μετέλαβε κοίτης. Αἰτησαμένῳ δὲ αὐτῷ παρέσχεν ἀθανασίαν. Ὁ δὲ γέρων γενόμενος, διὰ γὰρ ἄγνοιαν οὐκ ἠτήσατο ἀθανασίαν σὺν ἀγηρασίᾳ, ἀχθόμενος, ὡς τῶν ἐν βίῳ μεταλαμβάνειν ὐ δυνάμενος, ἐκάλεσε τὴν θεὸν, ὅπως αὐτὸν τῆ ζῆν ἀπαλλάξῃ. Ἡ δὲ (ὐ γὰρ ἦν δυνατὸν ἀποθανεῖν) αὐτὸν μετέβαλεν εἰς τέττιγα, τὸν μουσικώτατον τῶν πτηνῶν, ὅπως καὶ διὰ φωνῆς αὐτῆ τέρπηται. Γίγνεται δὲ ἐξ αὐτῶν παῖς Μέμνων, ὁ Αἰθιόπων βασιλεύς. *Fingunt, Tithonum Laomedontis filium, praestanti corporis specie, omnibus Ilii incolis, illa aetate superiorem, a Die Dea adamatum fuisse, quae et cum rapuit, vt connubio eius frui posset. Mota etiam precibus eius, immortalitatem ipsi concessit. Cum vero senectute confectus esset, nam ex ignorantia, vna cum immortalitate iuuentutem perpetuam sibi expetere neglexerat, et vita tam longaeua excruciaretur, quippe qui rebus, quae vitam reddunt iucundam, frui iam amplius non posset, vocata Dea, ab ea petiit, vt vitae suae finem imponeret. Illa vero, cum donato immortalitate, mori haud quaquam liceret, ipsum mutauit in cicadam, quae inter aues omnes musicam callere optime videtur, vt saltem voce eius delectaretur. Ex his parentibus prognatus est Memnon, Aethiopum rex.* De isthac fabula, quae ex graecis latinisque Poëtis, nota satis omnibus est, plura non addo. Eam vero HOMERVS, aut non nouit, aut non attigit. *Auroram* quidem cecinit Memnonis matrem, §. 1. Et *Tithoni* quoque, mariti *Aurorae*, * semel iterumque mentionem facit. Verum Memnoni patrem *Tithonum* nuspiam assignat. Et adduximus §. 3. *Scholiasten Pindari*, obseruantem, haec finxisse Poëtas Homero posteriores. Per eos vero praecipue innuere videtur HESIODVM, apud quem prima fabulae huius mentio deprehenditur. Is enim in *Theogonia* v. 984. ita cecinit

Τιθωνῷ δ' Ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστὴν
Αἰθιόπων βασιλῆα, καὶ Ἡμαθίωνα ἄνακτα.

Tithono vero Aurora peperit Memnonem aerea galea munitum, Aethiopum regem, et Emathionem regem.

Et

* Iliad. A. init. et Odyss. E. init.

Et hunc ſequuntur reliqui, qui *Memnoni* patrem tribuunt *Tithonum*, fratremque *Emathionem*, quorum nonnulla loca, §. hoc, et 3. adduximus. Filiis his Tithoni, Memnoni et Emathioni, DICTYS *Cretenſis* Sororem addit *Himeram*, vel *Hemeram*. Vide §. 3. Sunt, qui huic * aliam inſuper adiungant, *Antyllam*, a qua vrbs quaedam, non longe ab Alexandria remota, in Nilo, nomen acceperit.

§. 5. Haec ſunt, in quibus Poëtae veteres tantum non omnes conſentiunt, quoties res Memnonis graeci attingunt, genusque eius enarrant. Sunt tamen, qui neſcio quos ſecuti, Memnonem Ioue patre ſatum eſſe affirmauerint. Eos inter eſt vetus *Ariſtophanis interpres* graecus, qui in Nubes p. 163. Edit. Geneu. literis iſta prodidit. Μέμνων καὶ Σαρπηδὼν, υἱοὶ ὄντες Διὸς, ἀποθανόντες ἐν Τροίᾳ ἔτω παρὰ θεοῖς ἐτιμήθησαν, πατρὸς νομοθετήσαντος, ὡς τὴν ἡμέραν καθ' ἣν ἀπέθανον, ἐν πένθει καὶ νηστείᾳ θεὸς διάγειν κατ' ἔτος. *Memnon et Sarpedon, Iouis vterque filius, cum ad Troiam occubuiſſent, iuſſu patris ipſorum, tantos a Diis conſecuti ſunt honores, vt diem, quo heroes illi fato functi ſunt, luctu quotannis et ieiunio celebrarent.* Id forte ſubinnuebat ** antiqua pictura, in Templo Apollinis Delphici viſenda, quae Memnonem et Sarpedonem repraeſentabat, tanquam amicos coniunctiſſimos, indiuulſosque comites. Sicuti vero quidam patri Memnonis humano, ſubſtituunt diuinum, ipſum Iouem, ita vice verſa, pro matre diuina, Aurora, vel Die, eidem alii attribuunt humanam, quam *** AESCHYLVS vocat *Ciſſiam*. Videtur STRABO nomen hoc *Ciſſiae*, quo Memnonis mater a quibusdam deſignatur, habere pro nomine gentilitio, quo nempe patria eius ſignificetur. Verba enim eius ſunt. Λέγονται δὲ καὶ Κίσσιοι οἱ Σύσιοι. Φησὶ δὲ καὶ Αἰσχύλος τὴν μητέρα Μέμνονος Κισσίαν. *Suſii dicuntur etiam Ciſſii. Et certe Aeſchylus matrem Memnonis Ciſſiam vocat.* Memnon enim a permultis gente ferebatur Suſianus. Atque hanc veram nominis illius rationem eſſe arbitror. At aliter rem capit STEPHANVS *Ethnicographus*. Is enim in voce Σῦσα ſcribit Σύσιος καὶ Κίσιος κεκλῆσθαι ἀπὸ Κισίας τῆς μητρὸς Μέμνονος, *Suſios etiam dici Ciſios*, vel Ciſſios, *a Ciſia matre Memnonis.*

Paucorum quorundam a prioribus diſſenſus.

CAPVT

* EVSTATHIVS in Iliad. A. p. 117. 118.
** PAVSANIAS in *Phocicis* Lib. I. c. XXXI. p. 875.
*** Apud STRABONEM Lib. XV. p. 500. Edit. Geneu. Caſauboni.

CAPVT II.

De Memnonis Graeci patria et forma.

De Patria Memnonis non vna fuit veterum Sententia. §. 1. Poëtae plerique eam volunt fuisse Aethiopiam. §. 2. Et Scriptores quoque alii. §. 3. Primi famae huius auctores, per Aethiopiam intellexisse videntur Thebaidem Aegypti. §. 4. Alii Memnonem ex Assyria arcessunt. §. 5. Memnon instar Dei, tum in Aethiopia, tum in Assyria cultus perhibetur. §. 6. De forma Memnonis. §. 7.

§. 1.

De Patria Memnonis non vna fuit veterum sententia.

Tithonus Memnonis Pater, regio quidem Troianorum sanguine satus erat; §. 4. cap. I. at Memnonem inter Troianos lucem non adspexisse, inter omnes constat. Patriam ille, si Graecos audimus, plane aliam habuit. Communior per Poëtas inter Graecos vulgata fama, quam et capite superiori commemorauimus, fert, Auroram e domo Troianorum regia, Tithonum rapuisse, ac in cubile suum transtulisse. Sed vbinam gentium Tithoni conjux domum et cubile habuerit, non vna est omnium sententia. Sub iudice etiam num lis est, vbi locorum Memnon ille fabulis Poëtarum tam celebratus, lucem adspexerit, vbi vixerit, quid rerum gesserit, quem vitae finem, vbiue sepulchrum nactus fuerit. Sed de his, quoniam pleraque ex fabulis Sacerdotum Aegyptiorum de Amenophi, siue Memnone illius gentis, dimanasse videntur, paulo distinctius exponere, operae pretium erit.

Poëtae plerique patriam ipsi assignant Aethiopiam.

§. 2. Graecorum plerique, regiam Tithoni, patriamque Memnonis, filii eius, in Aethiopia quaerere nos jubent. Aiunt, Memnonem Aethiopem gente extitisse. PINDARVS id saepius affirmat, eaque in re aliis praeiuit. *Olymp.* II. p. 26. Memnonem appellat

Ἀᾶς τε παῖδ' Αἰθίοπα —

Et Aurorae filium Aethiopem —

Vbi vetus *Scholiastes* graecus obseruat, *fingere haec qui post Homerum scripsere.* Idem *Pyth.* Od. VI. p. 283 eum appellat

— στρατάρχον Αἰθιόπων Μέμνονα —

— ducem exercitus Aethiopum, Memnonem —

QVINTVS

QVINTVS SMYRNAEVS in *Paralipomenis Homeri* ita de eo canit Lib. II. v. 31.

Μέμνων ὁμβριμόθυμος, ἀγὼν ἀπερείσια φῦλα
Λαῶν, οἱ ναίεσι μελάμβροτον Αἰθιοπίαν.

Memnon magnanimus adducens infinitas cohortes
Gentium, quae Aethiopiam incolunt, nigros homines producentem.

Et Libro eodem v. 100.

Μέμνων κυανέοισι μετ' Αἰθιόπων ἀνάσσων.

Memnon inter atricolores Aethiopes imperium tenens.

Et quae ibi ſequuntur plura. Referenda huc quoque illa Poëtarum Romanorum teſtimonia, quae Memnonem nobis depingunt colore nigrum, quorum nonnulla deſcribemus §. 7. Non alia namque de cauſa heroëm hunc nigrum colore fingunt, quam quod ſubinnuere velint, ſolum Aethiopicum eum in lucem edidiſſe.

§. 3. Poëtis hic ſeſe iungunt hiſtorici, Rhetores, et cuiuscunque generis ſcriptores alii. Acceptam hi a Poëtis fabulam ſuam fecere, et ad poſteros propagauere. Teſtatur DIODORVS Lib. II. p. 109. *Aethiopes Memnonem patriae ſuae arrogare, in qua et oſſa eius recondita iaceant.* Conſimiliter CVRTIVS memoriae prodidit, Lib. IV. cap. 8. Alexandrum M. voluiſſe *Aethiopiam inuiſere, vt Memnonis Tithonique celebratam regiam cognoſceret.* De auibus Memnoniis, quarum apud veteres mira fuit celebritas, ſcribit PLINIVS Lib. X. c. 26, *aduolare Ilium ex Aethiopia aues, et confligere ad Memnonis tumulum, quas ob id Memnonidas vocant. Hoc idem quinto quoque anno facere eas * in Aethiopia, circa regiam Memnonis, exploratum ſibi Cremutius tradit.* PHILOSTRATVS *de vita Apollonii Tyanaei*, haec ex DAMIDE refert de Memnone Lib. VI. c. 111. Edit. Morelli: *Memnonem occubuiſſe non apud Troiam, quo etiam nec venerit, ſed in Aethiopia, cum regnaſſet apud Aethiopes, per generationum quinque ſpatium. Ipſi tamen Aethiopes, quoniam ſupra ceteros homines longiſſimae ſunt vitae, Memnonem tanquam in adoleſcentia mortuum lugent.* Idem in *Heroicis p.* 572 ſcribit, *Aethiopem quidem fuiſſe Memnonem, in*

Cum Poëtis hic faciunt Scriptores alii.

* Vide eundem Lib. VI. c. 29. vbi tradit Memnonem circa Troiana bella regnaſſe in Aethiopia.

in Aethiopia * *ante tempus belli Troiani imperantem — Verum* ** *alium ab hoc fuisse Memnonem Troianum* ***, *recentiorem, qui vixit tempore famosi illius belli Troiani* etc. Auctor hicce, et non immerito, duos a se inuicem Memnones distinguit, Aethiopem alterum, alterum Troianum, priori iuniorem. Quid plura hic ex Scriptoribus aliis; sed eundem in sensum congereremus? Horum igitur vestigia legit HELIODORVS notissimus *Aethiopicorum*, aut fabulae Aethiopicae auctor, qui Lib. IV. p. 175 narrat, Aethiopes inter heroës suos, quibus cultum religiosum decreuerint, numerare etiam Memnonem; Libro vero X. p. 462 affirmat, reges Aethiopum Memnonem inter maiores suos stirpisque auctores recensere.

Primi famae huius auctores, per Aethiopiam intellexisse videntur Thebaidem Aegypti.

§. 4. Videntur omnes, quorum testimoniis vsi nunc sumus, aut certe ex iis plerique, nomine *Aethiopiae*, illam intelligere, quae in meridionali Africae parte, supra Aegyptum sita est. Neque ab illis LYCOPHRON recedit, qui in *Cassandra* v. 18. Tithoni cubile, et patriam Memnonis τῆς κέρνης πέλας, *prope Insulam Cernen* collocat. Nam hic quidam *Cernen* insulam vix aliam crediderim intelligi posse, quam *S. Laurentii*, quam vulgo *Madagascar* appellant. † Arabes eam *Serandah* vocare consueuerunt. Qui vero omnium primi, natales Memnonis in *Aethiopia* quaerere nos iusserunt, nomine hoc, *Thebaidem*, vel superiorem Aegypti regionem, quae contermina est Aethiopiae, designasse omnino videntur. †† Illic enim regnasse et vixisse Memnonem suum, seu Amenophin, testabantur veteres Aegyptii. ††† Illic ostendebantur *Memnonia*, quorum STRABO facit mentionem. In eadem regione erecta erat inclyta illa Memnonis Aegyptii Statua, quae talis fere hodieque supersest, qualem STRABO et PAVSANIAS eam oculis subiecere. Et dubio quoque carere debet, regionem illam Aegypti, veteribus non raro dici *Aethiopiam*. Veritati plane congruunt,

* In Editione Morelliana, qua vtor, editum est ἐπὶ τῶν Τρωϊκῶν. Sed sequentia aperte clamant, legendum esse πρὸ τῶν Τρωϊκῶν. Et sic in versione mea expressi.

** Versio Morelliana hic sensum verborum graecorum non exprimit. Eam itaque correxi.

*** In Editione Morelliana legitur πώτερον τῦ Τρωϊκῦ. Scribe πώτερον, ἐπὶ τῦ Τρωϊκῦ, vel ἐπὶ τῶν Τρωϊκῶν. Et sic latine reddidi.

† *Bibliotheque Orientale* de D'HERBELOT artic. *Serandah*. fol. 806.

†† Vide Synt. II. cap. II. §. 2. 3.

††† Vide ibidem §. 4.

unt, quae hac de re vir ſummus in haec verba commentatus eſt. * „Delta diu Graecis Aegyptus propria habebatur; quae a mari remo„tiores ſunt ad Auſtrum regiones, communi [a] *Aethiopiae* nomine de„ſignabatur; ſicut *Scythiae* nomine, Septentrionaliores. Homerus „Thebaida *Aethiopiam* vocat, illamque ab Aegypto diſtinguit. Me„nelaus ſic Telemachum alloquitur,

[a] STRABO Lib. I. p. 33 b.

„— [b] καὶ Αἰγυπτίης ἐπαλήθεις
„Αἰθιοπάς θ' ἱκόμην —

[b] Odyſſ. Lib. IV. v. 84.

„— *Per Aegyptumque vagatus*
„*Aethiopes adii.* —

„id eſt, ex inferiori Aegypto, ſive propria dicta, in Thebaida. Nam „Homerus expreſſis verbis dicit, Menelaum *Thebas* veniſſe; illum vero „vlterius penetraſſe, non eſt rationi conſentaneum. Damis, Apollonii „Tyanaei comes, vidit *Memnonis templum et eius loquentem Statuam* „*in Aethiopia*, id eſt in Thebaide, ſcilicet Libyca Thebarum parte.„ Alii vero ex veteribus, loquentes de Memnone, *Aethiopiae* nomen, ſenſu latiori acceperunt **, eamque ad Indiam vſque extenderunt. Sic enim apud PACVVIVM ***, *Oceanus Memnonius*, eſt Oceanus Indicus, ſeu Orientalis. Et PROPERTII non ignoti ſunt hi verſus, Lib. I. Eleg. VI.

Non ego nunc Hadriae vereor mare noſcere tecum
Tulle, neque Aegaeo ducere vela ſolo:
Cum quo Riphaeos poſſim conſcendere montes,
Vlteriusque domos vadere Memnonias.

Ex hac veterum ſententia DICTYS *Cretenſis* ſcribit Lib. IV. c. 4. *Memnon Tithoni atque Aurorae filius, ingentibus Indorum atque Aethio-*

 pum

* MARSHAMVS in *Canone Chronico* p. 430. Edit. Franek.

** Quam late apud veteres pateat *Aethiopiae* nomen, intelligi poteſt ex HERODOTO Lib. VII. cap. 69. 70. SYNCELLI *Chronographia*, p. 151. vbi traditur, Indos ab Indo fluuio profectos conſediſſe in Africa ſupra Aegyptum. Adde VINDINGII notas in Dictyn Cretenſem Lib. IV. cap. IV. MARSHAMI *Canonem Chronicum* ad ſec. XIII. p. 335. BRENNERVS Commentar. ad Moſen Armenum p. 60. vult, Aethiopes, quos Memnon, Troianis auxilia laturus, duxit, fuiſſe Colchos. Et profecto de Memnone ſcribit DICTYS *Cretenſis* Lib. IV. c. 4. *Indos atque Aethiopes iugis Caucaſi montis ad Troiam duxit.*

*** Vide IS. VOSSII notas ad Catullum p. 271.

pum copiis superuenit. Etsi nondum satis constet, quaenam gentes hic *Indorum* nomine designentur.

Alii Memnonem ex Assyria arcessunt.

§. 5. Verum enim vero, sunt ex antiquis permulti, qui Memnonem patria Assyrium fuisse, et Susis regiam habuisse, contendant. Itaque DIODORVS *Siculus* ex CTESIA refert Lib. II. p. 109. *Auxilium Troianis ab Assyriis missum ductore Memnone, Tithoni filio. — Nam Priamus Troadis rex, quia regi Assyriorum suberat, mole belli gravatus subsidia a Teutamo, rege* Assyriorum, *petiuit. Hic decem millia Aethiopum, et totidem Susianos, cum CC curribus, illi misit. Praerat his Memnon, Tithoni filius. Hic enim Persiae tum temporis a rege praefectus erat, pollebatque inter ceteros duces, maxima apud eum gratia. Memnon vero aetate florens, virili robore animique elaritate praestabat, qui in arce Susiana regiam extruxit; quae nomine Memnoniae ad Persarum vsque Principatum durauit; viam quoque publicam strauit, quae nunc etiam nomen eius seruat.* Docent nos Scriptores eximii *, *Susa a Tithono condita fuisse, Memnonis patre, ambitus* CXX *stadiorum, figura oblonga, cuius arx Memnonium vocabatur.* Magnam famae huic veri speciem conciliat, quod Scriptores longe optimi vnanimiter testentur, arcem vrbis Susianae, ab antiquo dictam fuisse *Memnoniam*, vel etiam vrbem ipsam, a Graecis saltem, *Memnoniam* communiter nuncupari. Testimonia CTESIAE, DIODORI, et STRABONIS, iam modo retulimus. HERODOTO quoque perfamiliare videmus esse, vt *Susa*, Persarum regiam **, *Memnonia* vocitet. Idem quoque faciunt *** AELIANVS, et plurimi alii, quos excitare longum foret. Sunt tamen, qui regiam Memnonis in Orientis quidem partibus locent; verum aliis in vrbibus. Iuxta HYGINVM Fab. CCXXIII. *Domum Cyri regis in Ecbatanis, fecit Memnon lapidibus variis et candidis, vinctis auro.* Quod in Appendicula ad VIBIVM SEQVESTREM *de fluminibus*, ab Hesselio edita, ita effertur p. 164. *Domus regia in Ecbatanis, quam Memnon aedificauit lapidibus candidis et variis, auro vinctis.* In AMPELII *libro Memoriali*, cap. 8. haec inueniuntur. *Murus intus medio Babyloniae, quem Memnon aedificauit lapide cocto, id est calce et sulfure, ferro intermixtus, vt sunt iunctura.* Quis vero non intelligat, haec omnia

* STRABO Lib. XV. p. 506.
** Lib. V. c. 53. 54. VII. 151.
*** *De Animal.* Lib. V. c. 1. Lib. XIII. c. 18.

omnia nonniſi erroribus μνημονικοῖς adſcribenda eſſe? Vnicum iſtud nunc tantum addam, PAVSANIAM, vt diverſas Graecorum, de patria Memnonis relationes, aliqua ratione inter ſe conciliaret, rem ita narrare *. *Prope Memnonem nudus eſt puer ex Aethiopia, quod nempe Memnon rex, ex gente Aethiopum duxerit genus. Venit tamen ad bellum Troianum, non ex Aethiopia, ſed a Suſis Perſarum vrbe, debellatis iis omnibus nationibus, quae mediae ſunt, vſque ad Choaſpem fluuium.*

§. 6. Prouti vero Graeci Memnonem ſuum, aut ex Aethiopia, aut ex Aſſyria, arceſſunt, ita ipſi etiam cultum diuinum vindicant, modo ab Aethiopibus, modo vero ab Aſſyriis oblatum. Quidam nempe honores diuinos ipſi delatos fuiſſe ſcribunt ab Aethiopiae et Thebaidis in Aegypto incolis. Ex eorum ſententia PHILOSTRATVS ita ſcribit *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3. *Aethiopes Memnonem*, (etſi anno centeſimo circiter et ſexageſimo fato functum,) *lugere tanquam in adoleſcentia e viuis ereptum, et morte immatura extinctum.* Et poſt aliquam multa. *Sacra igitur Soli Aethiopi et Memnoni Eoo fecerunt. Sic enim ea Numina Sacerdotes cognominant, Solem quidem dicentes Aethiopem, ἀπὸ τῦ αἴθειν καὶ θάλπειν, quod nempe loca illa perurat et calefaciat, Memnonem vero Eoum, quod nempe filius ſit τῆς Ἠῶς*, id eſt *Aurorae*. Ideoque, quod ſupra iam monuimus. §. 3. HELIODORVS narrat, Aethiopes inter heroës, cultu publico honoratos, ponere et Memnonem. Alii vero memoriae mandarunt, ſacra huius generis, Memnoni ab Aſſyriorum gente fieri conſueuiſſe. Id certe perhibere videmus OPPIANVM, *Cynegeticon* Lib. II. v. 151.

Memnon Dei inſtar cultus, tum in Aethiopia, tum apud Aſſyrios, perhibetur.

Πάντη δ' ἔργα βοῶν θαλερὰς βέβριθεν ἀλωὰς
Μεμνόνιον περὶ νηὸν ὅθ' ἀστύριοι ναετῆρες
Μέμνονα δακρύσσι κλυτὸν γόνον ἠριγενείης
Ὃν ποτε πριαμίδησιν ἀμυνόμενον πελάσαντα
Θαρσαλέος πόσις ὦκα παρέδραμε Δηϊ δαμείας.
Et paſſim labores boum florentes onerant areas
Memnonium circa fanum, qua Aſſyrii incolae
Memnonem deflent; illuſtrem filium Aurorae,
Quem quondam Priamidis ſuppetias laturum
Animoſus maritus Deidamiae celeriter praeueniens interfecit.

* In *Phocicis* cap. XXXI. p. 875.

De Forma Memnonis.

§. 7. Qui Memnoni patriam tribuunt Aethiopiam, regionis huius colorem ipsi quoque affricant, eumque *nigrum* vel * *noctilorem* appellant. Ignorare non possunt, qui Poëtarum, Latinorum cumprimis, lectione capiuntur, nihil his esse solennius et familiare magis. Notum est VIRGILIVM memorare Lib. I. Aeneid. v. 493.

Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.

Et MANILIVM *Astron.* Lib. I. v. 764.

Auroraeque nigrum partum —

OVIDII haec sunt *Amorum* Lib. I. Eleg. VIII.

— nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.

Et Eleg. XIII. eiusdem Libri, Auroram Memnonis matrem sic alloquitur:

Inuida quo properas? quod erat tibi filius ater?
Materni fuerat pectoris ille color.

Ideoque in pictura quadam, quam in Templo Delphico viderat PAVSANIAS **, puer Aethiops symbolum erat Memnonis, eadem quippe forma conspicui. Eadem de causa, PHILOSTRATVM finxisse videmus, in *Heroicis* p. 742. *Memnonem in Aethiopia transmutatum fuisse in nigrum lapidem*, quo haud dubie alludit ad inclytam Memnonis Statuam marmoream, quam plures ex nigro lapide sculptam fuisse narrant. Sed ea de re plura dicemus Synt. III. Quinimo *Icones* Libro II. p. 790. subinnuit, ante Memnonis profectionem Troianam, Aethiopes incognitos meramque fabulam fuisse. De nigro vero illo colore Memnonis, ita loquuntur veteres, tamquam cum decenti, quinimo pulchra, vultus specie, fuisset coniunctus. PHILOSTRATVS itaque loc. cit. imaginem describens, in qua Memnon pictus erat, observat: Οὐδ' ἂν μέλανα φαίης τὸν Μέμνονα. Τὸ γὰρ ἀκράτως ἐν αὐτῷ μέλαν ὑποφαίνει τι ἄνθος. *Ne nigrum quidem dicerres Memnonem. Nam quae ipsi inest Sincera nigredo, floris nescio quid prae se fert.* Ipse HOMERVS Memnonem nobis repraesentat, ceu forma elegantissima insignem. Loquens enim de Eurypylo, Telephi filio, scribit Odyss. Λ. v. 521.

Κεῖνον

* LAEVIVS vetus Poëta, apud GELLIVM, *Noct. Attic.* Lib. XIX. c. VII.
** PAVSANIAS vbi supra. §. 5.

Κεῖνον δὴ κάλλιστον ἴδον μετὰ Μέμνονα δῖον.
Illum ſane pulcherrimum vidi poſt Memnonem diuinum.

Ad quae verba haec commentatur EVSTATHIVS p. 1697. Περιάδετε δὲ καὶ ὁ Μέμνων, καὶ δοκεῖ διὰ τὸ κάλλος, ἡμέρας υἱὸς εἶναι. *Etiam Memnon ob formae praeſtantiam celebratur, et hanc ob cauſam veroſimile eſt, eum dici diei filium.* Idem ad Odyſſ. Δ. v. 188. p. 1490. in haec verba ſcribit: Ὡραιότητα δὲ ὁ μόνον τῶ Μέμνονος αἰνίττεται τὸ ἠῶς αὐτὸν υἱὸν λέγεσθαι, ἀλλὰ καὶ Τιθωνῶ — Ὅρα δὲ ὅτι Φαεινῆς μητρὸς ἀγλαὸς ἦν εἰκείως ἔτος υἱὸς, ὡς ἡλιώδης τὴν θέαν. *Non vero id tantum pulchritudinem Memnonis ſubindicat, quod Aurorae dicatur filius, verum et quod perhibeatur natus Tithoni, cum quo Aurora conſueuit. Quam appoſite vero non dixit Memnonem Aurorae fulgentis ſplendidum filium, vt qui adſpectu Soli eſſet ſimilis?* In notis porro ad DIONYSII *Periegeſin* v. 248. haec habet: Ἡμέρης ἐλέγετο υἱὸς εἶναι, διὰ τὸ ἐν Αἰθίοψι τάχα κάλλιστος εἶναι, καὶ μόνος ὑπερλευκάνθαι (forte legendum ὑπολευκάνθαι) τὴν χρόαν, πατρὸς ὢν Τιθωνῶ. *Memnon dictus eſt filius Dici, forte quod inter Aethiopes forma excelleret, ſolusque, Tithoni quippe filius, colore albicaret.*

CAPVT. III.

De Memnonis Graeci aetate rebusque geſtis.

Memnon ab Homero numeratur inter heroës belli Troiani. §. 1. Eius in bellum Troianum profectio, et res geſtae. §. 2. In illo bello Memnon Antilochum filium Neſtoris certamine victum interfecit. §. 3. Memnonem viciſſim interfecit Achilles. §. 4.

§. 1.

Memnonis Graeci aetas, ſi Poëtas, Hiſtoricos, Rhetores et Grammaticos audimus, certa eſt, dubiisque obnoxia eſſe nequit. Summus tamen Scientiae Chronologicae Magiſter, illuſtris MARSHAMVS, ſpiſſis tenebris argumentum hoc circumuoluere anniſus eſt. Ita autem is rationes ſubducit *. *Heſiodus et Homerus Memnoni fuerunt coaetanei. Homerus quidem Memnonem omnino non nominat; neque* *Memnon ab Homero numeratur inter heroës belli Troiani.*

* *Canone Chronico* p. 430. Edit. Franck.

neque meminisset eius, etiamsi Iliadas vltra mortem Hectoris deduxisset; quum indecorum esset, res suae aetatis superas, veteribus Troianis immiscuisse. Hesiodus autem (Theog. v. 985.) *Memnonem, quem fingit Tithoni et Aurorae filium, appellat* Αἰθιόπων βασιλῆα, *regem Aethiopum.* Verum ex superioribus perspicuum est, MARSHAMVM hoc quidem in loco, a scopo aberrasse. Extra omnem dubitationis aleam positum est, Memnonem Graecorum, pluribus Seculis anteuertere aetatem Homeri et Hesiodi. Nam non modo HESIODVS, quam bene MARSHAMVS obseruat, verum et HOMERVS illius mentionem iniecit. Nomen eius expressit Odyss. Λ. 521.

Κεῖνον δὴ κάλλιστον ἴδον μετὰ Μέμνονα δῖον.
Illum sane pulcherrimum vidi post Memnonem diuinum.

Cumque verba haec Poëta tribuat Vlyssi, sic iam satis omnes intelligunt, eum res Memnonis illigare temporibus Troiani belli. Sed multo clarius magisque aperte id ipsum testatur, vbi de Antilocho, Nestoris filio, ad Troiam interemto canit Odyss. Δ. v. 187.

Μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Ἀντιλόχοιο
Τὸν ῥ' Ἠὼς ἔκτεινε Φαεσφόρος ἀγλαὸς υἱός.
Recordabatur enim mente sua eximii Antilochi,
Quem scilicet Aurorae splendidae interfecit inclytus filius.

PINDARVS itaque, quod pariter volebat * MARSHAMVS, primus vtique non fuit, qui Memnonem nobis sisteret, bello Troiano implicatum. Primus rem hanc narrauit ipse HOMERVS, isque Scriptoribus reliquis ea in re praeiuit, qui fideliter ipsum secuti sunt. Non nego, PHILOSTRATVM, qui id ex traditione per Aegyptios propagata accepisse videtur **, de duobus loqui Memnonibus, quorum alter Troiano bello antiquior extiterit, alter Troianorum rebus interfuerit. Sed quem is dicit antiquiorem Memnonem, est Aegyptius: qui hoc perhibetur iunior, quemque ad Troiam militasse, Graeci omnes consentiunt, est Memnon Graecorum, de quo hic disputamus.

Memnonis in bellum Troianum profectio et res ibi gestae.

§. 2. Quaecunque etiam Graeci de rebus gestis Memnonis sui narrant, vnice fere ad bellum Troianum referuntur. Numeratur certe inter praecipuos et fortissimos duces, qui Priamo et Troianis auxilio venerunt; sed et ad Troiae moenia, infelici fato occubuerunt. Ferunt

* Ibidem p. 431. ** Vide supra cap. II. §. 3.

Digitized by Google

STATVA MEMNONIS
FACIEM OSTENDENS.

Bernigeroth fc 1752.

TAB. II. ad pag. 71.

STATVA MEMNONIS
TERGVM OBVERTENS.

Bernigeroth f. 1752

Digitized by Google

Ferunt Tithonum patrem ei, vt expeditionem hanc ſuſciperet, imperaſſe ac perſuaſiſſe. SERVIVS rem ita refert ad *Virgilii Aeneid.* I. 493. *Tithonus * frater Laomedontis raptus ab Aurora, filium ſuum Memnonem, ex ipſa progenitum, inlectus dono vitis aureae, Priamo ** ad Troiae miſit auxilium.* Quod ad *vitem auream* attinet, rem nobis explicabit EVSTATHIVS, niſi quod promiſſionem vitis aureae non Tithono, verum Telepho regi Myſiae, filioque eius Eurypylo factam eſſe tradat. Ita enim ad Odyſſ. A. p. 1697. commentatur. Χρυσῆν τινα ἄμπελον Ζεὺς ἐχαρίσατο ἀντὶ Γανυμήδους τῷ πατρὶ Τρωΐ. Πριάμος δὲ ἐκ διαδοχῆς ἐλθοῦσαν εἰς αὐτὸν ὑπέσχετο Ἀσυόχῃ, τῇ ἑαυτοῦ μὲν ἀδελφῇ, Εὐρυπύλῳ δὲ μητρί, εἰ πέμψει ἐπὶ συμμαχίᾳ τὸν υἱὸν, Φάμενον ἐπὶ τῇ μητρὶ κεῖσθαι, τὴν εἰς πόλεμον ἐξέλευσιν αὐτοῦ. *Iupiter cum Ganymeden rapuiſſet, pro eo patri Troï vitem auream dono dedit. Cum vero haec haereditatis iure ſucceſſiuc ad Priamum peruenisſet is vitem hanc auream Aſtyochae, ſorori ſuae, matrique Eurypyli promiſit, ſi filium ſuum cum copiis auxilio ſibi mittere vellet. Dixerat namque is, penes matrem poſitum eſſe, vt in bellum proficiſceretur.* Paria habet DICTYS *Cretenſis, de bello Troiano* Lib. IV. cap. 14. *Nuntius Priamo ſuperuenit, Eurypylum Telephi ex Moeſia aduentare, quem rex multis antea illectum praemiis, ad poſtremum oblatione deſponſae Caſſandrae confirmauerat. Sed inter cetera, quae ei pulcherrima miſerat, addiderat etiam vitem quandam auro effectam, et ob id per populos memorabilem.* SERVIVS vero hoc ad Memnonem refert. Idem ad *Aeneid.* Lib. I. huncce verſum 755.

Nunc quibus Aurorae veniſſet filius armis

narrat ***, *ei feciſſe Vulcanum arma, cum auxilium Troianis ferret.* Sic igitur Memnon, precibus Priami, vt ferunt, commotus, armis diuina manu fabricatis amictus, ingentemque iuxta ac fortiſſimum Aethiopum aut Aſſyriorum exercitum ducens, Troiam, vrbi huic ſuppetias laturus, profectus eſt. EX PAVSANIA † ſupra retulimus, *Memnonem veniſſe ad bellum Troianum, non ex Aethiopia, ſed a Suſis Perſarum vrbe, debellatis iis omnibus nationibus, quae mediae ſunt, vſque*

* Videtur legendum eſſe: *frater Priami, filiusque Laomedontis.*

** An ſupplendum erit? *Ad Troiae moenia.*

*** Subinnuit hoc etiam QVINTVS SMYRNAEVS Paralipom. Lib. II. v. 454.

† Cap. II. §. 5.

Ad quae verba haec notat vetus Poëtae huius doctusque *interpres*. Ταῦτα λέγουσιν οἱ τὰ μεθ' Ὅμηρον γράψαντες ἅτω. Τιθωνῷ γίνονται ἐξ Ἡμέρας παῖδες δύο. Μέμνων καὶ Ἡμαθίων. Καὶ Μέμνων μὲν ἀνηρέθη ὑπ' Ἀχιλλέως, Ἡμαθίων δὲ ὑπὸ Ἡρακλέος. *Haec dicunt, qui post Homerum scripserunt, istum ad modum. Tithono ex Die duo nati sunt filii, Tithonus et Emathion. Memnonem neci dedit Achilles, Emathionem Hercules.* Eiusdem Poëtae versus hi sunt, *Nem.* Od. IV. p. 382.

— βαρὺ
δέ σφιν νεῖκος ἔμπεσ' Ἀχιλ-
λεὺς, χαμαί. καββὰς ἀΦ' ἁρμάτων
Φαεννᾶς ῥὸν ἔυτ' ἐνάρι-
ξεν Ἄϐς αἰχμᾷ
ἔγχεος ζακότοι-
ο. —

— *Grauis*
autem Aethiopibus concertatio incidit,
Quum Achilles in terram descendens, ex curribus
Filium splendidae Aurorae interficeret cuspide
Hastae periracundae.

Post PINDARVM vix est Graecorum quisquam, qui calamitatem Priami, vrbisque Troiae, attingit, aut gesta Achillis, vel res Memnonis persequitur, qui non hunc quoque miserandum illius interitum memoriae prodiderit. De Aurora, Memnonis matre, canentem legimus OVIDIVM, *Metam.* Lib. XIII. v. 576.

Non vacat Aurorae, quanquam isdem fauerat armis,
Cladibus et casu Troiacque Hecubaeque moueri.
Cura Deam propior, luctusque domesticus angit
Memnonis amissi, Phrygiis quem lutea campis
Vidit Achillea pereuntem cuspide mater.

Et mox apud eundem Aurora ipsa ita fatur, v. 595.

Memnonis orba mei venio: qui fortia frustra
Pro Patruo tulit arma suo: primisque sub armis
Occidit a forti (sic vos voluistis) Achille.

Extat

Extat hodieque in basi Statuae Memnonis, prope rudera priscarum Thebarum, in Aegypto superiori *, Epigramma graecum, idem subinnuens, quod adscribere non grauabor. Est enim sane elegans

Ζώειν, εἰναλίη Θέτι, Μέμνονα, χ' ἁδέα Φωνεῖν
Μάνθαν', ἐπὶ Τροίης ἄλλοκ' ἀπολλύμενον:
Αἰγύπτῳ Λιβυκῇσιν ὑπ' ὀφρύσιν, ἃ ἀποτάμνει
Καλλίπυλον Θήβην Νεῖλος ἐλαυνόμενος
Τὸν δὲ μάχης ἀκόρητον Ἀχιλλέα μήτ' ἐπὶ Τρώων
Φθέγγεσθαι πεδίῳ μήτ' ἐνὶ Θεσσαλίῃ.

Viuere, marina Theti, Memnona et suauiter sonare,
Disce, ad Troiam quondam occisum:
Aegypti Libycis sub tumulis, vbi abscindit
Pulchras portas habentem Thebam Nilus incitatus:
Insatiabilem vero pugnae Achillem, neque in Troum
Loqui campo, neque in Thessalia.

Quod si QVINTVM SMYRNAEVM adimus, narrat is *Paralipom.* Lib. II. Nestorem ob mortem Antilochi filii, moerore pene confectum, vnicum in vindicta solatium posuisse, et cum alios ad exercendam vindictam hanc, sed sine sperato successu, adhortatus esset, Achillem tandem ad id tentandum exstimulasse, et hunc Memnoni certamine superato, acerbam mortem attulisse. Alii rem ita exponunt. Interfecto Antilocho, ** *Aiax inter vtramque aciem progressus, lacessit Memnonem.* Hic, *vbi ad se tendi videt, curru desilit, confligitque pedes cum Aiace, magno vtriusque partis metu atque expectatione. Tum* Aiax *summa vi vmbonem scuti eius telo in aliquantum foratum,* — telum illud *vertit in latus. Quo viso regis* Memnonis *comites occurrere, Aiacem exturbare nitentes. Tum Achilles, vbi a Barbaris intercedi videt, pergit contra, et mutatum scuto hostis iugulum hasta transfigit.* Quicquid sit, in eo consentiunt omnes, hastam siue telum Achillis, Memnoni vulnus exitiale intulisse.

* Descripsit illud RICHARDVS POCOCKIVS, in his *Description of the East.* Vol. I. ad p. 149. Sequor autem hic emendationes viri doctissimi, PHILIPPI DORVILLE, in Animaduersionibus ad Charitonem Aphrodisiensem, p. 50.

** DICTYS *Cretensis.*

CAPVT IV.

De Memnonis Graeci ſepultura, honoribusque, quos poſt mortem conſecutus eſt.

Plerique ſepulchrum Memnonis prope Ilium locant. §. 1. Sunt tamen, qui ſepulchrum Memnonis alibi collocent. §. 2. Honores quibus Dii mortem Memnonis proſecuti eſſe dicuntur. §. 3. De auibus Memnoniis veterum fabulae. §. 4.

§. 1.

Plerique ſepulchrum Memnonis prope Ilium locant.

Memnoni occiſo, ea fere qua occubuit in regione, non procul ab vrbe Troia, plurimi tribuunt ſepulchrum. QVINTVS SMYRNAEVS fingit Lib. II. *Paralipom.* Iuſſu Aurorae, ventos mortuo circumfuſos, per aërem canum eum ſuſtuliſſe. V. 584. ita canit:

—— νέκυν δ' ἀκάμαντες ἀῆται
Μέμνονος ἀγχεμάχοιο θέσαν, βαρέα στενάχοντες,
Παρ' ποταμοῖο ῥέεθρα βαθυῤῥόου Αἰσήποιο
Ἧχι τε νυμφάων καλλιπλοκάμων πέλει ἄλσος
Καλὸν, ὃ δὴ μετόπισθε μακρὸν περὶ σῆμ' ἐβάλοντο
Αἰσηποῖο θύγατρες, ἄδην πεπυκασμένον ὕλῃ
Παντοίῃ ——

—— *Cadauer autem indefeſſi venti*
Memnonis bellicoſi cum graui gemitu repoſuerunt,
Iuxta altiflui Aeſepi amnis vndas:
Vbi pulchre crinitarum Nympharum lucus extat
Amoenus, in quo ei poſtea arduum eduxerunt tumulum
Filiae Aeſepi, omnis generis arboribus opacum.

Locum hunc ipſum ſine dubio deſignare voluit STRABO, quando Lib. XIII. p. 404. in haec verba ſcripſit. *Supra Aeſepi oſtia ad Stadia circiter . . . tumulus eſt, in quo ſepulchrum oſtenditur Memnonis Tithoni filii. Prope etiam Memnonis eſt pagus.* Et PAVSANIAS in *Phocicis*, vel Lib. X. p. 875. cuius pariter locum adſcribo. *Volucres Memnonidas dicunt Helleſpontii ad Memnonis ſepulchrum ſtatis diebus*

diebus quotannis aduolantes, cucrrere ſoli aream, quae circa tumulum pura, et arboribus vndique atque herba nuda ſit, et eam collecta pinnis ex Amne Aeſepo aqua, aſpergere. Eundem ſepulchri Memnonii locum in animo habent, quicunque de auibus Memnonidibus memoriae mandarunt, quod quouis anno Ilium ad Memnonis ſepulchrum conuolent, de quibus nonnulla mox addemus. *Iuxta Ilium* locat etiam *ſepulchrum Memnonis*, MARTIANVS CAPELLA Lib. VI. p. 221. Forte huc referre etiam licebit, quod a nonnullis literis proditum legimus, in vicina Bithynia, * Nicomediae Memnonis enſem aſſeruatum oſtenſumque fuiſſe.

§. 2. SIMONIDES vero, Poëta Lyricus antiquiſſimus, in Dithyrambo, quem inſcripſerat *Memnonem*, ** ſcriptum reliquit, *Memnonem* hunc *ſepultum fuiſſe circa* *** *Paltum Syriae, iuxta fluuium* † *Badam.* Veroſimile eſt, auctorem libri *de bello Troiano*, qui ſe DICTYN *Cretenſem* nominauit, hunc ipſum locum ſubinnuiſſe, vbi ſcripſit Lib. VI. cap. X. *A Neoptolemo etiam*, Achillis filio, *de reliquiis Memnonis cognitum mihi, vti tradita oſſa eius apud Paphum his, qui cum Phallante duce Memnonis mari ad Troiam profecti, ductore interfecto, ablataque praeda ibi morabantur: vtque Himera —— Soror Memnonis ad inueſtigandum cadauer fratris, eo profecta, poſtquam reliquias repperit, et de intercepta praeda Memnonis palam ei factum eſt, vtrumque recipere capiens, interceſſu Phoenicum, qui in eo exercitu plurimi fuerant, optionem rerum omnium ac ſeorſum fratris acceperit, praelataque ſanguinis affectione, recepta vrna Phoenicem nauigauerit: delata deinde ad regionem eius* †† *Palliochin, ſepultisque*

Sunt tamen, qui ſepulchrum Memnonis alibi collocent.

* PAVSANIAS in *Laconicis* cap. III. p. 211.

** Apud STRABONEM Lib. XV. p. 500.

*** ALDRICHIVS in notis ad Ioſephum de bello Iud. Lib. II. cap. X. ex Ioſepho putabat, pro *Palto* reponi debere *Ptolemaida*, et pro *Bada*, *Belum*. Verum non meminerat, STRABONEM haec referre ex SIMONIDE, cuius tempore *Acco* vel *Ace*, nomen *Ptolemaidis* nondum habebat.

† Apud STRABONEM loc. cit. legitur Βαδᾶν; verum IS. VOSSIVS in obſeruation. ad Pomponium Melam Lib. I. c. XIII. fin. corrigit Βάλδιν, ſatis veroſimiliter.

†† Videtur innuere regionem *Paltenam*, in qua vrbs *Paltus* erat ſita. Vide notas BERKELII, et HOLSTENII ad Stephani Ἐθνικά, articulo Πάλτος.

tisque fratris reliquiis, nusquam repente comparuerit. Si aliis auſcultamus, ſepulchrum illud in eadem quidem ora maritima; ſed propius ad fines Iudaeae, non longe a Ptolemaide ſitum erat. Ex eorum ſententia IOSEPHVS, Lib. II. *de bello Iudaico* cap. X. §. 2. literis haec prodidit. *Duorum Stadiorum interuallo ab vrbe Ptolemaide, praeterlabitur fluuius exiguus omnino, qui* * *Bellius appellatur, ad quem Monumentum eſt Memnonis, ſibi vicinum habens locum centum cubitorum, admiratione dignum. Eſt enim rotundus et cauus, et egerit arenam vitriariam.* Si tamen quod ſentio dicere licet, Monumentum, cuius IOSEPHVS mentionem facit, credo non fuiſſe Memnonis, qui ad Troiam interiit, verum Memnonis Rhodii, inclyti ducis bellici, ** quem Darius Codomannus, vltimus Perſarum rex, claſſibus et toti orae maritimae praefecerat, qui dum inſulis graecis maris Aegaei occupandis intentus eſt, morte praeuentus, in regione hac, curae fideique ſuae concredita, ſepultura et Monumento honoratus fuiſſe videtur. Ex hiſtoria certe conſtat, non ita diu poſt, *** viduam Memnonis huius Barſinen, Damaſci in Syria ab Alexandro captam fuiſſe. Non deſunt etiam, qui Memnonem noſtrum, Troianorum adiutorem et columen, poſt interitum, in patria, ſiue ea ſit Aſſyria, ſiue Aethiopia, ſepulchrum inueniſſe perhibeant. De auibus, quas veteres *Memnonias* nuncupant, commemorat AELIANVS de *Animal.* Lib. V. c. 1. *Recta ad Memnonis ſepulchrum proficiſcuntur. Id enim vel etiam nunc a Troadis incolis in honorem Memnonis Aurorae filii conditum ibi fuiſſe dicitur. Et Memnonis quidem cadauer, ex caede a matre in Suſa illa Memnonia tam celebrata exportatum fuiſſe, vt humatione afficeretur, et exequiarum iuſta e dignitate ei perſoluerentur; illud vero cenotaphium eſſe.* Qui vero Memnonem inter Aethiopes lucem adſpexiſſe, † ibique ſepulchrum etiam inueniſſe, perhibent, aues has †† ex Aethiopia arceſſunt. PHILOSTRATVS vero *Iconum* Lib. I. p. 742.

* In graeco eſt Βήλιος, *Beleus.* Plurimi eum vocant *Belum.* Vide CELLARII antiquam Geograph. Aſiae p. 483.

** ARRIANVS *de Expedit. Alexandri* M. Lib. II. init.

*** PLVTARCHVS in *vita Alexandri* p. 676.

† Tradunt hoc DIODORVS *Siculus*, Lib. II. p. 109. TZETZA in Chiliad. VI. hiſt. 64. Alii.

†† PLINIVS Lib. X. c. 26. SOLINVS in *Polyhiſtore* cap. 43. ISIDORVS Origin. L. XII. c. 7. et alii.

p. 742. negat, *vſpiam terrarum Memnonis extare tumulum*, quandoquidem *ipſe Memnon in nigrum transformatus ſit in Aethiopia lapidem*, digitum intendens ad inclytam eius Statuam marmoream, prope Thebas in Aegypto ſuperiori viſendam.

§. 3. Crediderunt Graeci, idque ſcripto etiam tradiderunt, enituiſſe in morte Memnonis ſui, ſigna fauoris et amoris eximia, quo eum Dii complexi ſunt. Nam, vti canit Poëta: *Honores quibus Dii mortem Memnonis proſecuti eſſe dicuntur.*

* Ἠὼς δ' ἐσονάχητε, καλυψαμένη νεφέεσσιν·
Ἠχλύνθη δ' ἄρα γαῖα· θοοὶ δ' ἅμα πάντες ἀῆται
Μητρὸς ἐφημοσυνῇσι, βίῃ φορέοντο κελεύθῳ
Ἐς πέδιον Πριάμοιο καὶ ἀμφεχέοντο θανόντι
Οἱ καὶ ἀνηρείψαντο θοῶς Ἠῴονα υἷα
Καὶ ἔφερον πολιοῖο δι' ἠέρος — &c.

Tum Aurora nubibus ſeſe condens triſtiſſimos edidit gemitus:
Tellusque inhorruit tenebris, et praepetes venti ſimul omnes,
Matris iuſſu, vno raptim itinere deferebantur
In campum Priami; circumfuſique mortuo,
Extemplo arripiunt Aurorae natum,
Perque aëra canum auferunt. —

Fingit poſtea idem, omnes ſanguinis guttas, quae ex corpore mortui Memnonis in terram ceciderunt, vt ſignum etiam eſſent poſteris, in vnum collectas, voluntate Deorum, fluuium euaſiſſe, dictum Paphlagonium. Apud OVIDIVM *Metamorph.* Lib. XIII. v. 598. Aurora Iouem ſic alloquitur:

Da, precor, huic aliquem, ſolatia mortis, honorem,
Summe Deum rector: maternaque vulnera leni.
Iupiter annuerat, cum Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus: nigrique volumina fumi
Infecere diem. Veluti cum flumina natas
Exhalant nebulas, nec Sol admittitur infra.
Atra fauilla volat: glomerataque corpus in vnum
Denſatur; faciemque capit: ſumitque calorem,

Atque

* QVINTVS SMYRNAEVS *Paralipom.* Lib. II. v. 548.

Atque animam ex igni: Levitas ſua praebuit alas.
Et primo ſimilis volucri, mox vero volucris
Inſonuit pennis. Pariter ſonuere ſorores
Innumerae; quibus eſt eadem natalis origo.

Non difficile erit lectori ſagaci perſpicere, OVIDIVM in his tradere voluiſſe originem auium Memnoniarum, quas Veteres fingebant ad tumulum Memnonis quotannis ſpectaculum edere, quod etiam Poëta in ſequentibus deſcribit. Auroram vero ipſam fabulantur funus filii ſui quotidiano luctu proſequi. Tangit et hoc OVIDIVS Libro illo eodem v. 621.

Luctibus eſt Aurora ſuis intenta; piasque
Nunc quoque dat lachrymas: et toto rorat in orbe.

Et ex noſtro Poëta id mutuo videtur ſumſiſſe SERVIVS, qui ad VIRGILII Lib. I. Aen. 493. ſcribit. *Memnon congreſſus cum Achille, ab eo eſt interemtus, cuius mortem mater Aurora hodieque rore matutino flere videtur.* Erant et qui talem fabulam ſpargerent, Memnonem aut potius effigiem eius ſaxeam in Thebaide, Sole oriente, matrem Auroram laeto ſalutaſſe cantu, poſt Solis vero occaſum, flebilem edidiſſe planctum. Id vero nihil aliud eſſe, quam fictionem poëticam, veritate omni deſtitutam, oſtendemus Syntagmate III. cap. IV. Non vero Aurorae tantum, Memnonis matri; ſed et reliquis Diis, memoriam eius tam charam fuiſſe ferunt, * vt ex decreto Iouis, diem, quo manu Achillis occubuerat, anniuerſario luctu et ieiunio celebrauerint. De luctu Himerae vel Hemerae, Sororis Memnonis, quo fratris ſui funus proſecuta eſt, quaedam habet DICTYS *Cretenſis* Lib. VI. c. 10. quae apud ipſum legi malim. Eſt quoque fabula haud dubie graecanica, etſi ad Memnonem Aegyptium translata, quam DEMETRIVS in libris rerum Aegyptiacarum ſcriptam reliquit. Refert nempe, ** circa Abydon, vrbem Thebaidis, naſci ſpinam arborem, de qua hanc Aegyptii fabulam vulgauerint: Aethiopes a Tithono miſſos Troiam, cum Memnonem audiuiſſent interiiſſe, illic loci coronas abieciſſe in ſpi-

* Vide ſupra cap. I. §. 5.

** Apud ATHENAEVM Lib. XV. p. 680. In graeco legitur περὶ Ἄβυλαν. Sed recte viri docti correxere Ἄβυδον. Vide BERKELIVM ad Stephani Ἐθνικά, voce Ἄβυδος.

ſpinas, ideoque *** ramos earum floribus onuſtos, coronis eſſe ſuffiles. STRABO Lib. XVII. p. 559. meminit etiam arboris huius circa Abydon, vbi eſſet Memnonis regia; ſed fabulam illam inſuper habet, eamque ſilentio inuoluit. Neque vllus dubito, quin a Graecis fuerit excogitata in honorem ſui Memnonis. De honoribus diuinis Memnoni, tum in Aſſyria, tum in Aethiopia, decretis, quaedam tetigimus cap. II. §. 6.

De auibus Memnoniis veterum fabulae.

§. 4. Singularia vero quam maxime ſunt, quae de auibus Memnoniis, heroi huic quotannis ad Monumentum eius parentantibus, veteres, eosque inter Scriptores graues multaque laude merito cumulati, memoriae prodere veriti non ſunt. Originem harum auium fabuloſam ex OVIDIO dedimus §. 3. Nunc quidnam illae in honorem Memnonis agere quotannis conſueuerint, ex eodem accipe.

Terque rogum luſtrant: et conſonus exit in auras
Ter clangor. Quarto ſeducunt caſtra volatu.
Tum duo diuerſa populi de parte feroces
Bella gerunt: roſtrisque et aduncis vnguibus iras
Exercent; alasque adverſaque pectora laſſant.
Inferiaeque cadunt cineri cognata ſepulto
Corpora: ſeque viro forti meminere creatas.
Praepetibus ſubitis nomen facit auctor; ab illo
Memnonides dictae, cum Sol duodena peregit
Signa, parentali perituraе Marte rebellant.

Idem Poëta *Amorum* Lib. I. Eleg. XIII. Auroram ſic compellat

Quo properas Aurora? mane. Sic Memnonis vmbris
Annua ſolenni caede parentet auis.

Totam hanc de iſtis auibus fabulam paulo prolixius hunc ad modum narrat AELIANVS *de Animal.* Lib. V. c. 1. *Terram Parianorum* (in Aſia minori, non ità longe a Troia) *et vicinam Cyzicum aues aſpectu nigras incolere ferunt, quae figura corporis et forma accipitribus ſimiles eſſe videntur: cae vſu carnium cum ſe abſtinent, tum in omni victus ratione ſe continent. Eis enim ad cibum ſemina ſunt.*

*** Idem quoque de ſpina Aegyptiaca obſeruant THEOPHRASTVS *hiſt. Plantar.* Lib. IV. c. 3. PLINIVS Lib. XIII. c. 9.

Quum autumnus esse coepit, Ilium gregatim aduolant. Eas autem idcirco Memnonias vocant, quod recta ad Memnonis sepulchrum proficiscantur. Id enim vel etiam nunc a Troadis incolis in honorem Memnonis, Aurorae filii, conditum ibi fuisse dicitur. Aues igitur Memnoni cognomines quotannis eo proficisci ferunt, ibique primum in contrarias partes distrahi, deinde pugnam committere: eamque summa contentione tam diu pugnare, dum ex his dimidia pars pereat, altera vero victrix redeat, vnde discesserat. In pauciora haec PLINIVS sic contrahit, Lib. X. c. 26. *Auctores sunt, omnibus annis aduolare Ilium ex Aethiopia aues, et confligere ad Memnonis tumulum, quas ob id Memnonidas vocant.* Deinde vero et ista addit. *Hoc idem quinto quoque anno facere eas in Aethiopia, circa regiam Memnonis, exploratum sibi Cremutius tradit.* Similia sunt his, quae ex PLINIO, pro more descripsit SOLINVS in *Polyhistore* cap. XLIII. Vidimus supra §. 3. ex OVIDIO, volucres has Memnonis, sic enim fingebant Graeci, exiisse ex busto Memnonis, hancque extitisse earum originem, Aliam earundem volucrium originem, priori non multum absimilem, commemorat SERVIVS, ad Aeneid. I. 755. in haec verba: *Memnon in tanto honore apud suos Socios fuit, vt post eius mortem, cum eum nimium deflerent, miseratione Deorum in aues conuersi dicantur, et quotannis venire ad tumulum eius, et ibi lamentatione et fletibus se dilacerare, donec aliquantae ibi moriantur.* Eandem plane fabulam reperies etiam apud QVINTVM SMYRNAEVM, Lib. II. 642. &c. Et haec sunt Beneuole Lector, quae de Memnone Graeco veteres passim tradidere.

Disseremus iam nunc de Aegyptio.

De

De Memnone
SYNTAGMA II.
Quod eſt
De Memnone Aegyptio,
ſiue Amenophi.

CAPVT I.
De nomine Memnonis Aegyptii, Amenophi.

Memnonis Aegyptii Statuam primus memorauit Herodotus. §. 1. Nomine eodem Memnonis vſi etiam ſunt Scriptores ſequiores. §. 2. Ipſis vero Aegyptiis Statua illa dicebatur Amenophis. §. 3. De cauſa ob quam Graeci Amenophin ſemper dixerint Memnonem. Aliorum proponuntur coniecturae. §. 4. Coniectura de re eadem noſtra adfertur. §. 5. Interpretatio nominis Aegyptiaci Amenophis. §. 6. De cognominibus Amenophis huius quaedam adduntur. §. 7.

§. 1.

Memnonem regem hiſtoria Aegyptiorum priſca penitus ignorat. Erat autem in Thebaide, prope Dioſpolin, ſiue Thebas Aegyptias, Statua Coloſſea longe celeberrima, de qua plura dicemus Synt. III. quam Graeci vocant Statuam Memnonis. Et illi Memnoni ſolent attribuere Graeci, quae ex eorum relationibus Syntagmate primo expoſuimus. Primus qui Statuae huius inclytae mentionem fecit, eamque Memnonis vocauit, eſt, ſi recte coniicio, eſt HERODOTVS, etſi viros eruditos, qui de Statua hac diſſeruere, quorumque obſeruationes oculis meis vſurpaui, loci Herodotei rationem habuiſſe non deprehenderim. Verba HERODOTI Lib. II. c. 106. id ſonant. *Columnae vero, quas in variis regionibus rex Aegypti Seſoſtris*

Memnonis Aegyptii Statuam primus memorauit Herodotus.

Sostris erexit, pleraeque incolumes iam non supersunt. Quasdam in Syria Palaestina ipse vidi inscriptas, tum quibus dixi literis, tum muliebribus genitalibus. Circa Ioniam quoque duae huius viri (Sesostris) *figurae visuntur in petris inciſae. — In earum vtraque insculptus est vir magnitudine quinum palmorum, dextra spiculum tenens, sinistra arcum, ceteramque item armaturam, et Aegyptiacam et Aethiopicam gestans. Ex altera vero ad alterum humerum super pectus cuntes sacrae literae 'Aegyptiacae sunt insculptae in haec verba:* HANC EGO REGIONEM MEIS OBTINVI HVMERIS. *Quis tamen ille aut cuias fuerit, ibi quidem non significatur; ego vero alibi declaraui. Quidam vero ex illis, qui figuras has sunt conspicati,* MEMNONIS *imaginem esse coniectant* (Μέμνονος εἰκόνα εἰκάζουσι μιν) *multum a veritate deflectentes.* Nemini dubium esse potest, quin sermo hic sit de Memnone illo Aegyptio, cuius Statua Thebis erecta, omnium oculis patebat, omnibusque nota erat, etsi HERODOTVS Statuae huius, vbi de rebus Thebaeorum agit, mentionem omnino fecerit nullam. Sed animaduersione nostra indignum non est, Statuam Memnonis in Thebaide, a quibusdam appellari consueuisse Sesostris, quod videbimus §. 7. sicuti figuram Sesostris in Ionia a nonnullis Memnoni attributam fuisse, ex HERODOTO intelligimus.

Nomine eodem Memnonis, Scriptores etiam sequiores vsi sunt.

§. 2. Post HERODOTVM, Scriptores Graeci Romanique, tantum non omnes, illum cuius Statua admiranda Thebis visenda erat, nominant *Memnonem.* Sic PAVSANIAS in *Atticis* de ea loquens p. 101. *Thebis Aegyptiis trans Nilum spectaui Statuam sedentis hominis. Eam vulgo Memnonis esse dicunt.* Et IVVENALIS Sat. XV. v. 5.

Dimidio magicae resonant vbi Memnone chordae,
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.

Consimiliter PLINIVS Lib. XXXVI. c. 7. *Non absimilis illi narratur Thebis, in delubro Serapis, vt putant, Memnonis Statua dicatus.* Et TACITVS *Annal.* Lib. II. c. 61. *Aliis quoque miraculis intendit animum, quorum praecipua fuere Memnonis saxea effigies — disiectasque inter et vix peruias arenas instar montium eductae Pyramides.* De eadem Statua loquens PHILOSTRATVS *de vita Apollonii Tyanei*, Lib. VI. c. 3. *Ipsius vero Memnonis Statua*, inquit, *adolescentis impuberis imaginem, referens, ad Solis radios conuersa est.* Et sic aliis quoque in locis. Quid opus est pluribus testimoniis, quorum

rum nonnulla etiam in ſequentibus adducemus? In ipſa Memnonis Statua hodieque leguntur quaedam Epigrammata graeca in Memnonem, ex quibus illud ex parte tantum adſcribo, quod in Syntagmate I. iam dedi.

Ζώειν, εἰναλίῃ Θετι, Μέμνονα χ' ἁδέα Φωνεῖν
Μάνθαν', ἐπὶ Τροίης ἄλλοκ' ἀπολλύμενον,
Αἰγύπτϖ, Λιβυκῇτιν ὑπ' ὀφρύσιν, ἃ ἀποτάμνει
Καλλίπυλον Θήβην Νεῖλος ἐλαυνόμενος.

Viuere, marina Theti, Memnona et ſuauiter ſonare
Diſce, ad Troiam quondam occiſum:
Aegypti Libycis ſub tumulis, vbi abſcindit
Pulchras portas habentem Theben, Nilus incitatus.

Plena eſt Statua eadem Inſcriptionum tum graecarum tum latinarum, in quibus ſemper nominatur *Memnon*, illudque toties legitur: *Audiui Memnonem.* Vide infra Synt. III. cap. IV. Quod videtur argumento eſſe, in ipſa Aegypto, a Graecis, Statuam illam alii, quam *Memnoni*, tribui non conſueuiſſe.

§. 3. Verum enim vero, quod modo verbo tetigi, qui Inſcriptiones illas in Coloſſo Memnonio inſculpi curarunt, Graeci fuerunt et Romani, haudquaquam Aegyptii, neque antiquae ipſorum diſciplinae alumni. Inter omnes illas, quas a ſe deſcriptas, RICH. POCOKIVS Operi praeclaro inſeruit, nullam inuenire potui, quae dominatione Romanorum in Aegypto antiquior cenſeri merito debeat. Quaedam aetatem prae ſe ferunt Domitiani, pleraeque Hadriani. Solent ceteroquin meliores Scriptores, vbi de Statua Memnonis loquuntur, ſubdubitare, ſitne illa vere Memnonis, an vero alio potius nomine inſignienda. STRABO, qui coloſſum hunc vidit ipſe, et cui accurata illius deſcriptio in acceptis ferenda eſt, p. 561. Edit. Geneu. maluit ipſi nullum, quam *Memnonis* nomen imponere. Verba eius infra dabimus. PLINIVS Statuam illam ait eſſe *Memnonis, vt putant*, §. 2. FAVSANIAS adductus pariter, §. 2. de eadem ſimili modo pronuntiat. Μέμνονα ὀνομάζϖσιν οἱ πολλοί. *Memnonem eum vocat multitudo*, vel *vulgus*, ſubinnuens graecos, ſiue patria, ſiue ſtudiis, qui tum in Aegypto vbique praeualebant, quibusque opponit indigenas Aegyptios. Et mox iſthanc ſubiungit rationem. *At ipſi Thebani Memnonem hunc eſſe negant: nam Phamenophem fuiſſe indigenam hominem*

Ipſi vero in Aegypto indigenae, Statuam illam dicebant eſſe Amenophis.

minem dicunt. Statuam igitur illam, quam Graeci dicebant *Memnonis*, Aegyptii, quibus *Memnonis* nomen ignotum erat, nuncupabant *Phamenophin*, vbi memento, *ph* nihil aliud esse, quam notam generis masculini. Quem PAVSANIAS vocat *Phamenophem*, ob rationem allatam, alii abiecta nota masculini generis, *Amenophem* appellant. Ita nomen hoc scribitur in *Chronico*, *Alexandrino*, vel *Paschali*, p. 338. Edit. Raderi. Καμβύτης τὸν Ἀμμένοφιν, ὃς Μέμνων νομιζόμενος εἶναι λίθος, καὶ φθεγγόμενος, Τέμνει. Vbi legendum videtur: ὃς Μέμνον νομίζεται εἶναι, καὶ φθεγγόμενος λίθος. *Cambyses Amenophin, quem putant esse Memnonem, lapidem scilicet vocalem, in medio secari iubet.* Auctor iste desumsisse haec videtur ex EVSEBIO, ex quo verbis fere iisdem ea etiam repetit SYNCELLVS in *Chronographia* p. 72. et 151. Οὗτος ὁ Ἀμενῶφθις ἐστὶν, ὁ Μέμνων εἶναι νομιζόμενος, καὶ φθεγγόμενος λίθος. *Hic Amenophis existimatur esse Memnon, lapis ille loquens, et sonum* quotidie *edens.* In *Eusebianis* SCALIGERI graecis, eadem habentur p. 16. nisi quod ibi ex emendatione SCALIGERI legatur Ἀμένωφις, recte prorsus, ita enim nomen illud plerumque scriptum deprehenditur. In EVSEBII *Chronico* latino, Libro posteriori, num. CCCC. p. 72. illa sic redduntur. *Hic est Amenophis, quem quidam Memnonem putant, lapidem loquentem.* Hinc sine dubio descripsit FRECVLPHVS *Lexouiensis*, quae *Chronici* Tom. I. Lib. II. cap. V. leguntur. *Hic est Amenophis, quem quidam Menonem* (lege Memnonem) *putant, lapidem loquentem.* Idem quoque docet *Epigramma* graecum, quod in Statua Memnonis Colossea etiamnum extat, et a RICH. POCOCKIO corrupte admodum editum est. Eius initium ex emendatione * IACOBI PHILIPPI D' ORVILLII, hic apponendum esse duxi.

Ἔκλυον αὐδήσαντος ἐγὼ Πόβλιος Βαλβῖνος,
Φωνὰς τὰς θείας Μέμνονος ἢ ΦαμενωΦ.
Ego Publius Balbinus audiui loquentis
Memnonis, siue Phamenoph, diuinas voces.

Idem igitur erat secundum Epigrammatis huius auctorem, *Memnon* et *Phamenoph* (vel *Phamenophis*, vel etiam *Amenophis.*) *Memnonem* dicebant Graeci, *Amenophin* Aegyptii. In historia Aegyptiaca, ** vti eam

* *Animaduersion.* in Charitonem Aphrodisiensem p. 531.

** Praeter MANETHONEM, regis huius mentionem quoque fecerat CHAEREMON in *historia Aegyptiaca*, apud IOSEPHVM Lib. I. contra Apion. §. 32.

eam descripsit MANETHO, * plures occurrunt reges, qui nomen *Amenophis* gesserunt. Dubitari ergo nequit, fuisse nomen hoc inter Aegyptios familiare satis et commune. Fueritne vero inter illos reges etiam is, cui Statua Colossea in Thebaide, quae *Amenophis* nomen gessit, dedicata erat, non praeter rationem addubito. Sed de hoc argumento infra disputabitur.

§. 4. Quaeri hic non abs re potest, qui tandem factum sit, vt *Amenophin* Aegyptium, Graeci de eo loquentes, semper nuncupauerint *Memnonem*. Ignotum non esse auguror, variis hac in re eruditos coniecturis indulsisse, quarum nonnullas adferre non pigebit. Illustris MARSHAMVS, qui de Amenophi copiose et erudite disserit, quique eum ** *esse illum Graecorum Memnonem* contendit, *qui Susis Phrygibusque imperauit*, in tales incidit cogitationes. *** *Phamenophis, siue Amenophis Thebanis is est, qui Graecis Memnon. Nomen ex* Menis, *primi regis nomine componi videtur.* Mennoph *Graecis euphoniae causa* Mennon, *siue* Memnon. *Ceterum obscura est Aegyptiorum nominum ratio.* Postremum hoc vere et recte monuit vir Antiquitatis omnis peritissimus, et proprio exemplo satis hic ostendit, quam periculosae plenum opus aleae illi suscipiant, quotque erroribus se ipsos inutiliter exponant, qui ex linguis sibi ignotis, nominum deriuationes tradere et explicare nituntur. Quis facile sibi persuaderi sinet, a *Mene* deriuatum esse *Amenophis*, et ex *Amenophis* factum esse *Memnonem?* Certe qui linguae Aegyptiacae aliquam notitiam sibi comparavit, non poterit non prima fronte intelligere, quantopere nomina haec a se inuicem differant. Multa dici hic possent; sed a quibus libens abstineo. Illud tantum verbulo tangam, *Menem*, et *Amenophin*, esse quidem vocabula linguae Aegyptiacae genuina; sed quorum significatio vehementer a se inuicem differt; *Memnonem* vero nomen esse Graecis proprium, ex horum lingua formatum, et ex ea tantum explicandum. Neque etiam nomen istud in Graecorum historia infrequenter occurrit. *Memnonis* historia Heracleae vrbis ad Pontum Euxinum, veteribus in pretio fuit, ex qua excerpta nobis reliquit PHOTIVS. In historia rerum ab Alexandro M. gestarum, magnum est nomen *Memno-*

Cur Amenophin Graeci semper dixerint Memnonem, aliorum coniecturae proponuntur.

* Vide IOSEPHVM Lib. I. p. 446. 447. 460. 461. 463. Adde SYNCELLVM p. 70. 71. 72. 73. 74.

** Canone Chronico ad Sec. XV. p. 424.

*** Ibidem p. 425.

Memnonis Rhodii, quem Darius Codomannus classi suae et orae maritimae, quae respicit mare mediterraneum, praefecerat. In bello Troiano, stabat a Troianorum partibus *Memnon*, de quo in Syntagmate I. satis diximus; aduersus eosdem vero dimicabat *Agamemnon*, dux exercitus Graecorum, cuius nomen ex *Memnonis* nomine deriuatum est. Etenim * Μέμνων graecis dicitur *ἀνδρεῖος*, *fortis*, *virtute* et *robore virili praeditus*, vnde est *ἀγαμέμνων*, *valde fortis*. *Memnon* ergo cum *Amenophi*, commune plane nihil habet. Prius ignorabant Aegyptii, posterius Graeci. Paulo alio modo rem aggreditur IAC. PERIZONIVS. Audiamus et eum, rationes sic colligentem. ** *Videtur tempore belli Troiani* Proteus, *siue* Sethos, *siue* Keten, *siue etiam* Tithonus, *vt mox dicemus*, *celebris Aegypti rex extitisse*, *vt et eius filius* Rhamsis, *vel* Ramsinitus: Ammenemes *autem et* Thuoris, *seu apud Graecos* Memnon *et* Thonis, *fuisse primum Duces illorum regum*, *at dein reges: Haec autem nomina* Amenophis, *et* Amenemmes, *videntur Graeci confudisse in vnum suae linguae nomen* Memnon, *de quo nunc agendum.* Et aliquanto post. *Quia* Memnonis *nomini propius etiam est* Ammenemmis *nomen idque in regibus Dynastiae* XIX. *ad cuius tempus referendum omnino videtur bellum Troianum*, *occurrit*, *vero congruens sic satis mihi videtur*, Memnonis *nomen apud Graecos inde ortum.* Tanti est acumine ingenii pollere! Quae non hic annotanda mihi forent, si omnia minutatim persequi vellem? Sed valeant haec nunc. Ceterum quae de coniectura MARSHAMI dicenda mihi erant, de hac vltima PERIZONII, repetere etsi inuitum oportet. Haec posterior plus praesidii, neque in sermone neque in historia Aegyptiorum inuenit, quam prior.

Coniectura de eadem re nostra adfertur.

§. 5. Quantumuis autem ea, quae ex obseruationibus virorum merito suo celeberrimorum attuli, mihi, et opinor aliis etiam, rem aequa lance expendentibus, parum satisfaciant, ideoque reiecerim, nescio tamen, possimne lectori aliquid offerre, approbatione ipsius et suffragio dignius. Suspicor tamen, rei huius causam, quod *Amenophis* Aegyptii Colossum, Graeci dixerint *Memnonis*, ab HOMERO esse repetendam. Dubitari vix posse crediderim, vixisse belli Troiani tempore, heroëm aliquem, *Memnonis* nomine insignitum, potentem, rebusque bellicis clarum, qui imperium versus plagas Orientis protulerit,

* EVSTATHIVS in Homeri Iliad. E. p. 591.
** *Origin. Aegypt.* cap. XV. p. 242.

lerit, arcemque vrbis Suſianae condiderit, poſtea Troianis auxilio venerit, et poſt res praeclare geſtas, manu Achillis illic occubuerit. Tradunt hoc Poëtae, Hiſtorici, Oratores, Grammatici, et qui non? Neque hactenus rationem prolatam a quoquam vidi idoneam, cur hac in re teſtimoniis veterum fidem denegare debeam. Illius ſemel iterumque HOMERVM inieciſſe mentionem, monuimus Synt. I. cap. III. §. 1. Quando autem Poëta heroem hunc vocat Ἠῶς υἱὸν, *filium Aurorae*, Odyſſ. Δ. 188. in locutione ambigua ludere mihi videtur. Nam quia *Aurorae* nomine, * deſignari etiam ſolet *plaga Orientalis*, commode per *filium Aurorae* Poëta ſubinnuere potuit *virum orientalem*, ex partibus nempe Orientis Troiam profectum, ſicuti in Scriptura בני קדם, *filii Orientis*, non raro dicuntur incolae regionis ad Orientem ſitae. Et fuerunt inter veteres, ** auctores non ſpernendi, qui HOMERI locutionem hunc ad modum exponerent. Fuitque haec forte vera ratio, quod *** permulti olim Memnonem hunc ex Aſſyria, vicinisque Orientis tractibus, Troiam veniſſe contenderent, quodque *Suſa*, inclytam illius regionis vrbem, *Memnonia* dicere conſueuerint. Verum ſi † Homerus gente Aegyptius fuit, et in ipſa Thebaide natus, quod †† Scriptor quidam vetus, eadem Patria ſatus, affirmat, aut ſi, quod aliis placet, in Aegypto peregrinatus eſt, a veri ſpecie non abhorret, eum, quando *Memnonem* dixit *Aurorae filium*, habuiſſe in animo Coloſſum Thebaeum, qui vna cum Sole oriente, vocem emittebat, eoque Auroram vel Diem, matrem ſuam, ſalutare ab Aegyptiis perhibebatur. Et quia Aurorae ille vel Diei filius, in Thebaide, ſiue Aethiopia Aegyptiaca, Graecis ab eo tempore ignotus non fuit, HOMERVS vero *Memnonem* Troianum, *Aurorae filium* celebrauit, Graeci id quod verbis ambiguis Poëta de Orientali Memnone dixerat, de Aethiope vel Aegyptio acceperunt, ideoque Memnoni ſuo, patriam vt plurimum vindicarunt Aethiopiam. Ex eodem fonte dimanaſſe credo, quod, cum in Graecorum fabulis, Aurora et cum Cephalo,

* Vide ſupra *Synt.* I. cap. I. §. 2.
** Vide ſupra loc. cit.
*** Vide ibid. §. 5.
† CLEMENS *Alexandrinus*, *Stromat.* Lib. p. 302. HELIODORVS *Aethiop.* Lib. III. p. 149. ALEKANDER *Paphius*, apud EVSTATHIVM in Odyſſ. Lib. M. p. 1713.
†† OLYMPIODORVS hiſtoricus, apud PHOTIVM in *Biblioth.* Cod. LXXX. p. 191.

et cum Tithono consueuisse perhibeatur, Memnoni *Aurorae filio* pater tributus fuerit Tithonus. Tithonum enim narrant Priami fuisse fratrem, sicque ratio iam constat, quamobrem Priamo patruo suo, Memnon auxilium tulerit. Hinc denique factum reor, vt multa ad Memnonem Troianum, vel Orientalem referentur, quae recte explicata, nonnisi in Aegyptio Thebaeo locum habent. Verum si haec ita sunt, vti dixi, qua ratione tandem euenisse dicemus, vt HOMERVS loquens de *Memnone Assyrio*, vel *Troiano*, ad hunc, locutione saltem ambigua, quae Poëtis secutis fucum fecit, ea retulerit, quae *Aegyptio* sunt propria? Dicere possumus, penes HOMERVM forte culpam fuisse nullam. Quando enim *Memnonem* nuncupauit *Aurorae filium*, quid nos credere vetat, eum nonnisi hoc subinnuisse, heroëm illum ex *Orientis partibus* in regionem Troianam delatum fuisse. Fieri facillime potuit, vt, qui ipsum secuti sunt, locutionis huius verum sensum haud assequerentur, isteque eorum error, fabulam decantatam de Memnone, Tithoni et Aurorae filio nobis pepererit. Quod si vero Poëtarum Princeps, *Memnonem* Troianum, *Aurorae filium* vocans, digitum intendit in Colossum Thebaeum, quem in Patria viderat, quemque *Aurorae* vel Diei filium vulgo appellari nouerat, in quo absurdi nihil video, lingua Aegyptiaca, * cuius non plane ignarus fuisse videtur, fictionem hanc Poëticam suggerere ipsi potuit. Sermone Aegyptiorum *(Oni)* dicitur *lapis*, et *(Noni* vel *Enoni) lapideus*. In casu quarto, *(Menoni*, vel *Emenoni)* dicebant *lapideum*, subintellige *colossum*, vel *lapideam Statuam*. Probabile est, vulgum de colosso hoc loquentem, eum communi sermonis vsu dixisse *Emnoni*, vel ** *Menoni*, id est *lapideam*, scilicet *Statuam*, quam TACITVS consimiliter *Annal.* Lib. II. c. 61. *saxeam effigiem* vocat, quod plane eodem redit. Auguror itaque, HOMERVM, vbi de *Memnone* orientali loqui volebat, recordatum fuisse colossi sui Thebaei, qui vulgo, nomine, ad illud *Memonis* accedente, insigniri soleret, eaque de causa Troianum locutione ambigua et fallace, dixisse *Aurorae filium*, eoque figmentis Poëtarum aliorum,

* Vide *Prolegomena* ad *Pantheon* nostrum, §. LV. p. CXXVII.

** Nonnunquam Memnonis nomen scriptum reperitur *Menon*. Exempla habes capite hoc, §. 3. &c.

aliorum, de *Memnone Aethiope*, Tithoni et Aurorae filio, occaſionem ſubminiſtraſſe.

Interpretatio nominis Aegyptii Amenophis, tentatur.

§. 6. Sed e diuerticulo in viam redeo, ad *Amenophin* Aegyptium. Nominis huius originationes attuli, §. 4. quas parum habere veroſimilitudinis, fatebuntur credo omnes rerum iuſti et aequi aeſtimatores. Verum quandoquidem rem hanc tetigi, eaque ad argumentum, quod hic ornandum in me ſuſcepi, vtique ſpectat, exponam quae mihi verior videatur nominis huius interpretatio. Erat cum coniicerem, *Amenophis*, literis Copticis ſcriptum, ſonare ϪⲘⲞⲚⲞⲪ-ⲚⲞⲌ-ⲫⲓ, *Amun-noh-phi*, idque interpretor *cuſtodem vrbis Thebarum.* Norunt eruditi, priſcum genuinumque vrbis Thebarum nomen Aegyptium, fuiſſe *Amun-noh.* In Textu hebraico librorum Veteris Teſtamenti legimus * אמון נא, *Amun*, vel *Amon-no*, et ** המון נא *Hamun-no*, vti et *** נא אמון, *No-Amun*, idque interpretes Alexandrini perquam commode reddunt, loco poſtremo, μερίδα Ἀμμών, id eſt *portionem* vel *poſſeſſionem Ammonis.* Scriptores Graeci exotici, vrbem eam vocant Διόσπολιν, *vrbem Iouis*, ſcilicet *Ammonis*, et has ſequuntur interpretes etiam Alexandrini, *Ezech.* XXX. 16. Nam † *Amun* Aegyptiis nomen eſt Diuinitatis, quam Graeci Δία, *Iouem* interpretantur. ⲚⲞⲌ, *(noh)* vero certam et *demenſam poſſeſſionem* ſignificat, vnde oportet deducere vocem νομὸς, ita Aegyptii appellabant certam regionis ſuae partem, vel, vt Latini loquuntur, *Praefecturam*, quod pluribus nunc perſequi, prolixum nimis foret. ⲫⲓ, *(phi)* denique, ſermone Aegyptiorum dicitur τηρεῖν, *ſeruare*, *cuſtodire.* Ex ea ratione obſeruauimus quondam †† *Vulcanum*, Princeps Aegyptiorum Numen, in Theologia gentis huius dici conſueuiſſe ϪⲀⲘⲒ-ⲫⲓ, *Chami-phi*, vel ϪⲀⲘⲈ-ⲫⲓ, *Came-phi*, *Cuſtodem Aegypti.* Conſimili ſane ratione, *Amenophin* interpretari nobis licebit *Amun-noh-phi*, ſiue *Cuſtodem Thebarum Aegyptiarum.* Eſt enim credibile, Thebaeos Aegyptios, *Amenophin*, ceu vrbis ſuae ſeruato-

* *Ieremiae* XLVI. 25.
** *Ezechiel.* XXX. 15.
*** *Nahumi* III. 8.
† Videri poteſt *Pantheon* noſtrum Lib. II. cap. II.
†† In *Pantheo* Lib. I. cap. IV. §. 9.

rem et custodem reueritos fuisse. Testatur id inscriptio graeca, quae in Colosso Memnonio visenda, a POCOCKIO edita est, quamuis iniuria temporis non leuiter corrupta. Haec tamen ex vocibus valde inquinatis eruere licuit. ΕΦΘΕΓΞΑΤΟ ΜΕΜΝΩΝ ΘΗΒΑΙΩΝ ΠΡΟΜΑΧΟΣ. *Sonum dedit Memnon Thebaeorum Propugnator.* Id certe Aegyptiace sonat *Amun-noh-phi.* Venit et alia nominis huius interpretatio in mentem; sed quam sequentibus reseruo, vbi de Statua Memnonis differendum mihi erit, Synt. III. cap. VI.

De cognominibus Amenophis Aegyptii.

§. 7. Nomen, quod nunc excussimus, *Amenophis*, est veluti proprium *Memnonis* Aegyptiorum. Sed illum tamen aliis etiam nominibus, quae possis dicere *appellatiua*, vel *cognomina*, insignitum fuisse, deprehendimus. Ad illa refero nomen *Memnon*, non graecum, de quo diximus §. 4. quodque ibidem fumus interpretati; verum Aegyptium, quo Thebaidis incolae *colossum* suum saxeum solebant cognominare, §. 5. Aliud Amenophi nostro ab Aegyptiis impositum nomen erat *Osymandes*, vel *Osymandyas*, quod ex HECATAEO *Abderita*, DIODORVS *Siculus* memoriae prodidit Lib. I. p. 44. Perbene profecto animaduertit MARSHAMVS ex STRABONE, qui eum *Ismanden* appellat, hunc ab *Amenophi*, siue *Memnone*, re ipsa non differre. Idque ex DIODORO recte lecto et intellecto, facile potest confirmari. Sed audiamus MARSHAMVM, quia eadem opera, *Memnonis* quoque et *Osymandyae* nomina Aegyptiaca illustrare annisus est. * *Porro*, inquit, *Amenophis hic siue Memnon, qui Strabonis est Ismandes, et Imandes, Hecataeo dicitur Osimandes, hoc forsitan ab Osiride, illud ab Isidc nomen.* Opportune vir idem illustris, quod iam monuimus §. 4. in superioribus obseruauerat, *obscuram esse Aegyptiorum nominum rationem*, quare vehementer optauerim, vt ab explicandis obscuris huius generis nominibus, potius abstinuisset. Id enim negotium, neque hic, neque vspiam alibi, feliciter ipsi cessit. Verum id recte omnino peruidit, *Osymanden*, et *Amenophin*, siue *Memnonem*, nomina esse, quae ad vnum eundemque Colossum Thebaeum referri debent, illique ab Aegyptiis imposita sunt. Idque ipsum in Syntagmate III. ex vetusto Aegyptiorum sermone, luculenter confirmabimus. Denique et *Sesostris* nomine condecoratum fuisse a nonnullis *Amenophin*, testimonio Scriptoris magni nominis nititur. Conceptis namque verbis id testatur PAVSANIAS, curiosus Colossi Thebaei

* In *Canone Chronico* p. 427.

Thebaei ſpectator, quique quae de eo tradit, ab accolis accepit. Is poſtquam obſeruaſſet, eum, quem *Memnonem* vocarent Graeci, ab indigenis nuncupari *Amenophin*, §. 2. 3. iſta ſubiungit. *Audiui etiam, qui Seſoſtris illam Statuam eſſe dicerent.* Nemo vero ſibi perſuadeat, intelligi hic *Seſoſtrin*, inclytum illum regem Aegypti, omnium gentium ſermonibus celebratum. Id enim ſi eſſet, nemini in tota Aegypto res huius indolis obſcura et ignota eſſe potuiſſet. Etenim inter reges omnes, qui Aegyptiis vnquam imperarunt, non eſt quisquam illuſtrior, cuiusque memoria charior exiſteret omnibus, Seſoſtri. Coloſſus porro ille Thebaeus, a primis inde temporibus, in tanta fuit vbique exiſtimatione, * vt inter admiranda Aegypti, numeratus ſemper fuerit. Et cum Aegyptii rerum inſigniorum omnium memoriam tam ſollicite cuſtodiuerint, et ſaxis adeo inſculpi curauerint, quomodo res huius generis obliuioni mandari, aut ſequiori aeuo in dubium vocari potuiſſet? Et tamen nouimus, Statuam illam communiter, ab omnibus dictam fuiſſe *Amenophis*, et paucos tantum quosdam eam *Seſoſtris* nuncupaſſe. Facit hoc, vt ſuſpicer, nomen *Seſoſtris*, hic non eſſe nomen alicuius viri proprium; ſed appellatiuum. Memini, aliquando beatum LA CROZIVM, cum de rebus geſtis magni Seſoſtris confabularemur, nomen Seſoſtris ita interpretatum eſſe, ϭc-ϭϣϯ-ϸн, (*Sois* vel *Sif-oſtre*) quo ſignificatur κύριος προσκυνῶν τὸν ἥλιον, *Dominus adorans Solem*, idque poſtea in Miſcellaneis, manu eius exaratis, quorum, ſub nomine *La Crozianorum*, editionem in me ſuſcepi, ſcriptum inueni. Hoc nomine vero, etiam Statua Amenophis quam optime compellari potuit, quia ſolebat oriente Sole, vocem emittere, eaque Solem quaſi ſalutare, aut adorare. Poſſet etiam nomen idem exponi ϭc ϰϫϣϯ ϵрн, (*Sois*, vel *Sif-ſuſt-ere*) *Dominus intuens in Solem*, quod fere eodem redit. Prior tamen interpretatio pluribus forte arridebit, neque me inuito.

CAPVT

* Vide Synt. III. cap. I.

CAPVT II.

De loco, vbi regnauit Amenophis, deque eius aetate.

Operae pretium eſt, quaerere, in quanam Aegypti Prouincia regnauerit Amenophis §. 1. Amenophis Aegyptius fuit Thebaeus. §. 2. Neque obeſt nobis Philoſtrati et aliorum quorundam auctoritas. §. 3. Neque gens Memnonum in Aethiopia. Vera Memnonia non ſunt, niſi in Aegypto ſuperiori. §. 4. Aetas Amenophis, ex aetate Memnonis graeci, aeſtimari non poteſt. §. 5.

§. 1.

Operae pretium eſt quaerere, in quanam Aegypti Prouincia regnauerit Amenophis.

Amenophin MANETHO in hiſtoria rerum Aegyptiacarum, * repraeſentauit vt regem pium, fortem, felicem, et potentem. Ab eo id acceperunt alii. Quinimo Scriptor ille Aegyptius, inter reges, quorum hiſtoriam ſcripto conſignauit, ** plures recenſuit, nomine eodem Amenophis deſignatos. Exiſtimant igitur viri eruditi, Coloſſum Thebaeum, effigiem eſſe ſaxeam *** vnius ex his regibus, qui *Amenophis* nomen geſſerunt. Ex iis quae diximus, per ſe iam ſatis colligi poſſe videtur, quamnam rex ille, ſecundum traditionem Aegyptiorum hiſtoricam, habuerit patriam, et vbinam gentium imperauerit. At etiamnum tamen diſpiciendum reſtat, in quanam Aegypti regione imperaſſe perhibeatur. Nam in pluribus Aegypti partibus, plures ſimul reges, et eodem tempore ſummae rerum praefuiſſe, *Dynaſtiae* MANETHONIS ſatis teſtantur. Hanc vero quaeſtionem de patria et loco regni Amenophis, non ita eſſe inutilem aut ſuperuacaneam, atque multis quidem prima fronte videri poſſet; ſed argumentum potius, in quo mea nunc deſudat opera, non parum illuſtrare, ſequentia planum facient, et infra in Syntagmate III. data occaſione, obſeruabitur.

Amenophis Aegyptius fuit Thebaeus.

§. 2. Amenophi igitur, ſiue Memnoni Aegyptiorum, patria fuit, ſi traditiones gentis huius audimus, Aegyptus ſuperior, vel Thebais. Hic etiam MANETHO regnum ei aſſignauerat. Etenim reges

* Apud IOSEPHVM Lib. I. adu. Apion. §. 26. 27.
** Vide ſupra cap. I. §. 3.
*** MARSHAMVS *Canone Chron.* ad Secul. XV. p. 424.

ges illi, * quorum seriem Scriptor hicce in *Aegyptiacis* suis contexuerat, quaeque reges plures nobis exhibet, nomine *Amenophis* nobiles, componunt *Dynastiam* eius, ** vti ab AFRICANO, et EVSEBIO ordinata est, numero XVIII. quae est *Diospolitarum*, siue *Thebacorum*. In serie igitur regum Thebaeorum, *Amenophi*, vel *Memnoni* Aegyptiorum, locus concedendus est. Spectat eodem locus PAVSANIAE, semel iterumque ad testimonium vocati. Verba eius et hic, ac pleniora quidem, adscribere non pigebit. *** *Colossum, qui Thebis Aegyptiis est, trans Nilum — spectaui. Statua ibi est sedentis hominis. Eam vulgus Memnonis vocat: quem ex Aethiopia venisse — tradunt. At ipsi Thebaei Memnonem esse negant; verum dicunt esse eum Phamenophin, vnum ex indigenis.* Ab ipsis igitur Thebaidos incolis accepit PAVSANIAS, *Phamenophin*, cuius viderat cum admiratione Statuam, ortu fuisse Thebaeum, τῶν ἐγχωρίων, *vnum ex indigenis.* Quod vero ad situm illius loci, vbi Scriptor eximius Colossum inclytum vidit, quem ait esse Thebis, prope decantatas illas Syringas, de eo ambigi hodie non potest. Locum illum plures oculis vsurpauere, et accurate descripsere peregrinatores. Plura his iam non addo, quoniam hac de re, infra Syntagmate III. differendum mihi esse video. Ille vero locus, in quo stabat *Amenophis* saxea effigies, patria quoque ipsi fuisse credebatur. Hinc IOHANNES TZETZES Chiliad. VI. hist. 64. de Memnone ait:

Ἐν τῇ πατρίδι δ' ὀπαχθεὶς ἐτάφη δ' οἰκείᾳ
Καὶ στήλη τάτῳ γέγονε πυῤῥοποικίλῳ λίθῳ.

In patria vero propria, postquam corpus eius abductum esset Troia, sepultus est.

Et posuerunt ei Statuam ex varicgato lapide.

Nec alia de causa, in Inscriptione, quam cap. I. §. 6. attulimus, is ipse appellatur Θηβαίων Πρόμαχος, *Thebacorum Propugnator.*

§. 3. A constanti illa Aegyptiorum traditione, quam §. 2. exposui, re ipsa non recedit PHILOSTRATVS, quando Lib. VI. *de vita Apollonii* cap. 3. in haec verba scribit. *Refert Damis, fuisse Memnonem* *Neque obest Philostrati, et aliorum quorundam auctoritas.*

* Apud IOSEPHVM *contra Apion.* Lib. I. p. 446. 447.
** Apud SYNCELLVM in *Chronographia*, p. 62. 70. 72.
*** In *Atticis* p. 101.

mnonem Aurorae filium: occubuiſſe vero non apud Troiam, quo etiam illum non veniſſe conſtat; ſed in Aethiopia, cum apud Aethiopes regnaſſet per generationum quinque ſpatium. Ipſi tamen Aethiopes, quoniam ſupra ceteros homines longiſſimae ſunt vitae (ἐπειδὴ μακροβιώτατοι ἀνθρώπων εἰσὶν,) Memnonem lugent, quaſi in adoleſcentia defunctum. Equidem PHILOSTRATVS, et quem is ſequi ſe profitetur, DAMIS, ſignificare videntur, Memnonem Aegyptium, inter illos Aethiopes et vixiſſe et diem ſuum obiiſſe, qui propter ſingularem vitae longaeuitatem, veteribus *Macrobii* dicuntur. Hi autem in Geographia antiqua, longe ſupra Aegyptum, in ea Africae collocantur parte, quam hodie etiam *Aethiopiam* appellamus. HERODOTVS Lib. III. c. 17. eos *in Africa ad mare auſtrale* locat. MELA Lib. III. c. 9. eosdem Aethiopibus illis accenſet, quibus regni ſedes erat Meroë. Hanc eandem oram illis aſſignat PLINIVS Lib. VI. c. 30. ad quem haec notat HARDVINVS de *Macrobiis. Pars eſt regni, quod Nubiam hodie appellant: non Bagamedri, vt Sanutus exiſtimat.* Ex hac igitur regione Memnonem Aegyptium deducere videtur PHILOSTRATVS, neque id nego. Verum tot errores pueriles Scriptor hic aduerſus praecepta Geographiae commiſit, vt illius, in his rebus, ſit perexigua, et pene nulla auctoritas. Eum ceteroquin nomine *Aethiopiae* re ipſa Thebaidem Aegyptiacam deſignare voluiſſe, aut certe debuiſſe, vel id eſt argumento ineluctabili, quod in Aethiopum illorum, de quibus loquitur, regione, inclytum ponat, Memnonis Coloſſum, quem et prolixe deſcribit. Fueritne huius Coloſſi ſitus verus PHILOSTRATO perſpectus nec ne, nunc non disquiro; ſed eruditorum hodie nemo negat, fuiſſe eum in Thebaide, prope vrbem *Thebas* erectum. Haec igitur eſt Aethiopia, ex qua Memnonem Aegyptium fuiſſe oriundum, et in qua eum regnaſſe, ex communi fama, ſubinnuit PHILOSTRATVS. Idem de aliis iudicandum quoque eſt, qui Memnonem Aethiopem extitiſſe, eoque nigrum, perhibent. Veteres certe, eosque inter HOMERVM ipſum, *Aethiopide* nomine deſignare Thebaidem Aegyptiacam, * alio loco monuimus. Non nego, recentiores quosdam, priſcam illam traditionem de Memnone Aethiope, ſiue Thebaeo Aegyptio, nouis figmentis ſic inquinaſſe, vt videri poſſit Memnon ſemper pro indigena Aethiopiae proprie ſic dictae habitus fuiſſe, cuius rei exempla, ** in ſuperioribus attuli;

* Synt. I. cap. II. §. 4. ** Loc. cit. §. 3.

attuli; verum illi morari nos non debent. Non enim tum traditionem priſcam nobis ſinceram referunt; verum propria cerebri ſui figmenta exornant.

§. 4. Obiici forſan nobis poſſet, quod ſupra ipſi tetigimus, a veteribus nonnullis memoriae proditum inueniri, fuiſſe aliquam in Aethiopia gentem, cui a *Memnone* nomen inditum fuerit *Memnonum* *. Erant et olim, qui contenderent, eorum ipſum iam HOMERVM mentionem feciſſe. Verum vbi in omnibus Exemplaribus legitur Iliad. A. 423. μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας, *ad inculpatos Aethiopes*, illi reponebant μετὰ Μέμνονας Αἰθιοπῆας, *ad Memnones Aethiopes:* dicebantque, eſſe Aethiopum gentem quandam, quae a Memnone Tithoni filio et Diei, nomen adſciuiſſet *Memnonum*. Et fateor, gentem hanc vetuſtis Geographis incognitam non fuiſſe, quippe qui ſitum regionis ipſorum in Aethiopia deſignent. PLINII haec verba ſunt Lib. VI. c. 30. *Ex aduerſo in Africae parte Macrobii: Rurſus a Megabaris Memmones et Dauelli.* Coniunguntur hic *Memnones* et *Macrobii*, inter quos poſteriores vixiſſe Memnonem et regnaſſe, PHILOSTRATVS auctor eſt. Vide §. 3. PTOLEMAEVS vero *Geograph.* Lib. IV. cap. VIII. p. 130. de iisdem haec habet. *Inter Nilum autem et Aſtapodem fluuium, ad Meroën inſulam* (ſic eſt in graeco) *Memnones.* Vix igitur in dubium vocari poſſe arbitror, ex recepta Geographorum veterum ſententia, fuiſſe gentem aliquam Aethiopicam, quam ipſi nominarunt *Memnones.* At vero iſſos in honorem Memnonis Aegyptii, ita denominatos non fuiſſe, ex eo ſatis conſtare vnicuique poteſt, quod *Memnonis* nomen in illis oris cognitum nemini fuerit. Quem Graeci *Memnonem* appellant, is ab Aegyptiis conſtanter dicebatur *Amenophis*, nomen vero *Memnonis* ipſis ignotum erat. Eſtne igitur dubitandum, *Aethiopes*, ſi omnino *Amenophis* notus ipſis eſſet, et ſi ab eo ſe ipſos cognominare vellent, nomen hocce eius verum ab Aegyptiis adoptaturos potius fuiſſe, quam *Memnonis* nomen ſibi penitus peregrinum, a Graecis, tam longo terrarum interuallo, a patria ſua diſſitis? Genuina *Memnonia*, quibus nempe nomen iſtud, a Memnone Aegyptio adhaeſiſſe creditur, omnes vnaniniter locant in Aegypto ſuperiori, plerique circa Thebas et Abydum. De iis STRABO, Geographorum antiquorum praeſtantiſſimus, Lib. XVII. p. 559 ait: *Supra Ptolemaidem eſt Abydus*, ** *in qua*

Neque Memnonum gens in Aethiopia. Vera Memnonia non ſunt, niſi in Aegypto ſuperiori.

* EVSTATHIVS in Iliad. A. p. 128.
** Sic et PLINIVS Lib. V. cap. 9. et SOLINVS in *Polyhiſtore*, cap. 32.

eſt Memnonis regia, mirifice ſtructa, e ſolido lapide, quemadmodum diximus de Labyrintho. Et mox: *Quod ſi, vt nonnulli ſentiunt, Memnon ab Aegyptiis, Ismandes dicitur: etiam Labyrinthus Memnonius erit, et eiusdem opus, cuius Abydenſia et Thebana, nam et ibi quaedam Memnonia dicuntur.* Quod auctor excellens de Labyrintho coniectat, minus firmum certumque iudicari debet, nititur enim errore manifeſto, quem infra indicabimus, cap. III. §. 5. Verum apud omnes in confeſſo eſt, quod et ipſe obſeruat, Thebis et Abydi oſtendi quaedam *Memnonia.* Idem p. 561, vbi memorabilia Thebis viſenda deſcribit, *ſupra Memnonium*, inquit, *ſunt regum loculi*, in ſpeluncis quibusdam in lapidem inciſi. De iisdem omnino loquitur DIODORVS *Siculus* Lib. II. vbi p. 109 et haec leguntur: Ἀμφισβητῶσι δὲ οἱ περὶ Αἴγυπτον Αἰθίοπες λέγοντες ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις γεγονέναι τὸν ἄνδρα τοῦτον, καὶ βασιλεῖα παλαιὰ δεικνύουσιν, ἃ μέχρι τῆ νῦν ὀνομάζεσθαι φασὶ Μεμνόνεια. *In dubium hoc vocant Aethiopes, circa Aegyptum*, Memnonem in Oriente imperaſſe, regiamque habuiſſe Suſa, *nam Memnonem patriae ſuae arrogant, idque domus regiae, quas etiamnum Memnonia vocari ferunt, indicant.* Quae hic dicitur *Aethiopia circa Aegyptum*, re ipſa alia non eſt, quam Aegyptus ſuperior, quod et res ipſa loquitur, et ex iis, quae ſaepe in ſuperioribus obſeruanda nobis fuerunt, intelligi potuit. Verum DIODORVS ex eo, quod Memnonia perhiberentur in Aethiopia eſſe, ſatis ſe expedire non potuit, cum in mente eius haereret Aethiopia ab Aegypto diſtincta. AGATHARCHIDES, vt qui bene noſſet, *Memnonia* genuina reperiri nulla, niſi in Aegypto ſuperiori, et nihilo tamen minus intelligeret, ea etiam in Aethiopia locari, difficultatem hanc alio modo ſolui poſſe exiſtimauit, aut ſolutionem ab aliis oblatam, amplexus eſt. Ita autem ſcribit in *Periplo Maris rubri* *. *Deſiit hoc metallum in actu eſſe tum, quando Aethiopum olim agmen Aegyptum incurſauit, et multis amis vrbes cuſtoditas praeſidiis ſuis tenuit, a quibus etiam Memnonia eſſe perfecta memorant, tum quando Medi et Perſae rerum potiebantur.* Credat hoc Iudaeus Apella. *Memnonia* illa non alia de cauſa a vetuſtioribus dicta ſunt *Aethiopica*, quam quod extructa eſſent in Aethiopia Aegyptiaca, ſeu Aegypto ſuperiori, aut Thebaide. Verum dices forte, quidnam haec *Memnonia* ad *Amenophin*, qui in Aegypto ſemper hoc, nunquam *Memnonis*

* Apud PHOTIVM in *Biblioth.* Cod. CCL. p. 1322. et in *Hudſoni Geographis minor.* T. I. p. 26.

mnonis nomine primitus compellatus fuit? Recte quidem id aduerſus ea, quae huc vſque adſtruxi, excipi poſſet, ſi loca illa, quae a Scriptoribus *Memnonia* vocantur, nomine hoc ab ipſis priſcis Aegypti incolis deſignata fuiſſent. Quis vero id dixerit? Graeci ſunt, qui nomen hoc nobis conſeruarunt, quique id ab interpretibus Sacrorum graecis in Aegypto acceperunt. Iidem nobis *Heliopolin*, *Dioſpolin*, *Aphroditopolin*, *Heracleopolin*, et ſimiles vrbes in Aegypto commemorant, a Graecis ſic denominatas, quarum tamen vrbium nomina Aegyptiaca plane diuerſa fuiſſe nouimus. *Heliopolin* Aegyptiis dictam fuiſſe *On*, ipſa Scriptura magiſtra tenemus. Eadem nos docet, *Dioſpolin* ab indigenis dictam fuiſſe *Amun-noh*, vel *Noh-Amun*. Et ſic in reliquis. Idem plane exiſtimandum eſt de *Memnoniis*. Quoties illa a Scriptoribus Graecis Romanisque nominantur, nihil niſi hoc ſubindicatur, fuiſſe aedificia ſtructurae antiquae et ſplendidae, in honorem *Amenophis*, ſiue, vt eum Graeci vocare conſueuerunt, *Memnonis*, condita, eiusque memoriae conſecrata.

Aetas Amenophis Aegyptii, ex aetate Memnonis Graeci aeſtimari non poteſt.

§. 5. Si Amenophis in Aegypto regnauit, quod Graecis ſaltem perſuaſum erat, difficile non videtur, de aetate eius, certi quidpiam conſtituere. Ingens enim illa nominis eius celebritas, permittere non potuiſſet, vt memoria rerum ab eo geſtarum, et temporis, in quod regnum eius et geſta ingruunt, intercideret. Et ſunt viri eruditi, inque rebus chronologicis ſumma cum laude verſati, qui labori pepercerunt nulli, vt rem hanc ad aliquem certitudinis gradum perducerent. Verum poſt expenſa ſerio omnia cauſae huius momenta, poſt excuſſas diligenter rationes, quas pro ſententiis ſuis viri doctiſſimi adferunt, fateri tamen cogor, me iisdem tenebris, eademque incertitudine, qua antea, etiamnum premi. Equidem ſi Amenophis Aegyptiorum, a Graecorum Memnone haud quaquam differret, quod veterum pleriqne exiſtimarunt, negotium hoc omne expeditum eſſet, ac conclamatum. Nam dubitare non licet, Memnonem Graecorum, ſi extitit, extitiſſe tempore belli Troiani, quod exitium ipſi attulit. Vide Synt. I. cap. III. Neque etiam diffiteri poſſum, venditari quasdam, tanquam veterum Aegyptiorum traditiones, quae cum traditionibus hac de re Graecorum poëticis et hiſtoricis plane conſonant. * *In dubium hoc vocant*, inquit Scriptor pereximius, *Aethiopes circa Aegyptum, qui patriae ſuae Memnonem arrogant, et Palatia hodieque Memnonia vocitata oſtendunt. Vtut ſit, conſtans fama eſt, Memnonem Troianis auxilio venturum, — magna*

* DIODORVS *Siculus.*

magna fortitudinis gloria multos in praelio graecos neci tradidiſſe: donec ad extremum Theſſalorum inſidiis trucidatus, occubuit. Cadauer tamen Aethiopes ereptum combuſſerunt, oſſaque reportarunt ad Tithonum. Haec ſane de Memnone in regiis deſcripta commentariis haberi, Barbari aſſerunt. Et §. 2. TZETZAE iam adduximus verſus politicos, quorum hicce eſt ſenſus: *Memnon vero in propria patria, poſtquām corpus eius abductum eſſet Troia, ſepultus eſt. Et poſuerunt ei illic Statuam ex variegato marmore.* Poteſt his quoque addi traditio Aegyptiorum, vti iactatur, vetus, quam ex DEMETRII *rerum Aegyptiacarum* libris attuli *Synt.* I. cap. IV. §. 3. Verum haec lectori exercitato ſcrupulum iniicere nequeunt. Nam quod ad DIODORVM attinet, videbunt facile, qui in huiusmodi rebus hoſpites non ſunt, eum quae refert, ex fama incerta accepiſſe, quod multis adſtruere opus non eſt. TZETZES vero, rerum Aegyptiacarum, in hoc negotio, vt videtur, plane expers, Scriptores graecos aperte et vnice ſecutus hic eſt. De loco DEMETRII quae ſentio, ſupra iam expoſui loc. cit.

Re ipſa aetas eius plane incerta eſt.

§. 6. Aliud omnino de *Amenophi* teſtantur ipſorum Aegyptiorum traditiones et Monumenta, quae attentionem aliquam merentur. Ex his DAMIS, Apollonii Tyanaei in itineribus comes, retulerat *, *Memnonem* Aegyptium, *nec ad Troiam occubuiſſe, nec omnino iter illuc feciſſe.* Ipſe vero PHILOSTRATVS commemorat ** Μέμνονα ἕτερον νεώτερον, ἐπὶ τῦ τρωϊκῦ πολέμυ, *Memnonem alium iuniorem, qui claruit tempore belli Troiani.* Prior eſt Aegyptius, ſiue *Amenophis*, poſterior autem Graecorum *Memnon.* Si vera narrat PLINIVS Lib. VII. c. 56, et ſi de Memnone Aegyptio loquitur ***, quod mihi, non diffiteor, videtur, plurimis Seculis hic Troiani belli tempus antevertit. Sic namque ſcribit: *Anticlides in Aegypto literas inueniſſe quendam nomine MENONA tradit, XV. annis ante Phoroneum antiquiſſimum Graeciae regem.* Aetas huius *Phoronei*, quem PLINIVS vocat *antiquiſſimum Graeciae regem*, et quo nihil antiquius in Graeca hiſtoria occurrere fatetur PROCLVS Lib. I. *in Timaeum Platonis* p. 31. aetas inquam huius Phoronei, Chronologis noſtris ignota non eſt; ſed hoc tamen antiquiorem eſſe *Menonem* (id eſt Memnonem Aegy-

* Apud PHILOSTRATVM *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3.
** Vide Synt. I. cap. II. §. 3.
*** Vide Synt. III. cap. IV. §. 7.

Aegyptium) affirmat PLINIVS. MANETHO, Sacerdos Aegyptius, *Amenophin* multo quidem iuniorem nobis commemorat *Phoroneo*; ſed non parum tamen antiquiorem belli Troiani tempore. Nam ſi ipſius hiſtoriae rerum Aegyptiacarum, rationem aliquam habendam putamus, fuerunt tres Aegyptiorum reges, nomine *Amenophis* condecorati. Et poſt hos tres, alium etiamnum in Catalogum regum Aegypti infert *Amenophin* *, aequalem Moſi Hebraeorum Legislatori; ſed quem ** peſſima fraude, contra fidem hiſtoricam intruſum eſſe iudicat IOSEPHVS. Eadem de aetate huius *Amenophis* memoriae mandauit CHAEREMON, in *** *hiſtoria Aegyptiaca.* Iuxta hos itaque calculos, *Amenophis* in aetatem Moſis ingruit, tempora autem cladis Troianae, aliquot Seculis anteceſſit. Iam vero obſeruauimus, id quod dixi, Amenophi tribui quarto, illique, vt judicat Scriptor Iudaicus, contra fidem annalium genuinorum, peſſime intruſo. At vero longe veroſimilius eſt, Coloſſum Thebaeum, ſi fuit effigies vnius ex his regibus, ad primum potius referri, qui ſecundum rationem temporum MANETHONIS, diu ante Moſen regnauit. MANETHON ipſe, ſi ſententiam eius recte repraeſentarunt † AFRICANVS et EVSEBIVS, Coloſſum regi illi vindicat, qui ſecundus nomen *Amenophis* geſtauit. Verum enim vero, mihi longe credibilius videtur, ipſum primum *Amenophin*, nomen hoc ſuum, more Aegyptiis perquam familiari, a Coloſſo Thebaeo, tanquam a diuinitate aliqua ſymbolica, accepiſſe, et ab hoc, idem nomen adſciuiſſe alios. Equidem neſcius non ſum, magnum hiſtoriae veteris, et doctrinae de temporibus inveſtigatorem, MARSHAMVM ††, Coloſſum noſtrum attribuere *Amenophi* quarto, illi, quem fictitium et ſuppoſititium iudicat IOSEPHVS. At quis non videt, eum rationes ſuas ita digeſſiſſe, vt hypotheſibus ſuis ſeruiret, et quod *Amenophin* Aegyptium, cum *Memnone* Graecorum, in vnam eandemque perſonam compingere vellet, reclamantibus licet genuinis Aegyptiorm relationibus et traditionibus. Eam quoque ob cauſam, rationes temporum MANETHONIS, quem tamen ſequitur, mirum in modum turbat. Scribit enim †††, *Memnonem Thebanum,*

* Apud IOSEPHVM *contra Apion.* Lib. I. §. 26. p. 461.
** IOSEPHVS lib. cit. §. 26. p. 461. ſemel iterumque.
*** Apud IOSEPHVM, vbi ſupra, §. 32.
† Apud SYNCELLVM in *Chronograph.* p. 72.
†† In *Canone Chronico*, p. 424.
††† Ibidem p. 432.

num, bello Troiano esse longe recentiorem, cum tamen certum et ab omni dubio repulsum sit, quartum *Amenophin*, secundum MANETHONEM et CHAEREMONEM, ex quorum Commentariis historicis nobis tantum innotuit, tempora Mosis attingere, eoque bello Troiano multo antiquiorem esse. Quid diutius morer in re tam obscura, et quam, me quidem iudice, non quisquam facile extricauerit? Malo hic igitur acquiescere in iudicio IAC. PERIZONII, qui, vbi varias virorum eruditorum, de hoc argumento, sententias expendit, ita tandem pronunciat *: *Atqui nihil incertius Amenophis istius aetate, quippe quem Vsserius ad Mosis tempora refert, alii plerique ad seriora longe demittunt.*

CAPVT III.

De vita Amenophis Aegyptii rebusque ab eo gestis.

Traditio Damidis de vita Amenophis longaeua examinatur et reiicitur. §. 1. De rebus ab Amenophi gestis Aegyptiorum traditiones. §. 2. Osymandyae, qui ab Amenophi diuersus non est, res gestae. §. 3. 4. Amenophis vel Osymandyas Labyrinthum non construxit. §. 5.

§. 1.

Traditio Damidis de vita Amenophis longaeua examinatur, et reiicitur.

Non desunt, qui de vita Amenophis, siue Memnonis Aegyptii, rebusque ab eo gestis, literis nonnulla mandarunt. Eo retulerim traditionem Aethiopum, id est incolarum superioris Aegypti, vel Thebaidos, quam ex *Damide* refert PHILOSTRATVS *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3: *Memnonem Aurorae filium Aethiopem, neque Troiae occubuisse, neque illuc profectum vnquam fuisse; sed diem obiisse in Aethiopia, cum ibi regnasset per generationum quinque spatium.* Addit postea, eum nihilo minus *in adolescentia* fato functum fuisse, quandoquidem Aethiopes, ex quibus ortum traxisset, et quibus imperasset, sint *μακροβιώτατοι ἀνθρώπων, supra ceteros homines longissimae vitae.* Tradiderintne hoc, quod de longaeuitate Memnonis sui, ex DAMIDIS testimonio, PHILOSTRATVS narrat, re ipsa Aegyptii, certo sciri non potest. Oppido tamen probabile est, plurimis et crassis

* *Origin. Aegypt.* cap. XII. p. 188.

craſſis valde mendaciis, quibus vita illa Apollonii tota ſcatet, et hoc eſſe annumerandum. Quis enim non intelligit, auctorem huius famae, de incredibili longaeuitate Memnonis, eum ex Aegypto transferre ad illos Aethiopes, qui longius aliis hominibus vitam producere credebantur, et quos ideo veteres appellarat *μακροβίους*, *Macrobios*, de quibus nonnihil dixi cap. II. §. 3. Res ipſa id non loquitur, ſed clamat. Verum iſta profecto genuina Aegyptiorum traditio non eſt. Nam Thebaei in Aegypto ſuperiori, Pauſaniae affirmarunt *, Memnonem aut Amenophin eſſe *τῶν ἐγχωρίων*, *vnum ex indigenis*, in regione ſua natum. Et multa ſunt, quae inuicte docent, fuiſſe hanc communem inter omnes Aegyptios famam. Vide cap. II. §. 2. 3. 4. Verum enim vero, vt etiam concedam, Memnonem DAMIDIS, inter Aethiopes Macrobios vixiſſe, iisque imperaſſe, ne ſic quidem, cum teſtimoniis de his hominibus veterum, conciliari poteſt, quod nugator ille blaterat, Memnonem regnaſſe *per generationum quinque ſpatium*. Sic enim tempus, quod regnando emenſus eſt hicce Memnon, complecteretur ** annos plusquam centum et ſexaginta. Addendi autem annis hiſce complures alii, quos vixiſſe credi poteſt, antequam regni habenas capeſſeret. Multo magis ab omni veri ſpecie remotum eſt, quod illic additur, eum qui tot annos inter Macrobios vixerit, habitum fuiſſe pro adoleſcente. Quot igitur non anni, in gente illa, tribuendi erunt viris? quot ſenibus? quot tenique decrepitis? Haec non modo fidem omnem ſuperant; ſed et teſtimoniis veterum de longaeuitae Macrobiorum. De iis enim haec tradit MELA *de ſitu orbis* Lib. III. cap. IX. *Aethiopes ſedem Meroën habent, terram, quam Nilus primo ambitu amplexus, inſulam facit. Pars, quia vitae ſpatium dimidio fere, quam nos, longius agunt, Macrobii dicti.* Si igitur Scriptorem hunc, et quos ille ſecutus eſt, audimus, Macrobii, vbi ad ſenilem aetatem peruenirent, annos viuebant circiter centum et viginti. Alexander M. in Epiſtola ***, cui Sophiſta quidam nomen eius praefixit, Macrobiis; ſed quos in India Orientali locat, attribuit annos centum et quinquaginta. Sed quid hoc ad *Macrobios* DAMIDIS, et ad *Memnonem* eius Aethiopicum? qui ſi, ſenectutem attigiſſet, annos trecentos

* PAVSANIAS p. 101.

** Apud veteres enim communiter, tres generationes conficiunt centum annos. Vide BENTLEII *Diſſertation upon Phalaris's Epiſtels* p. 35.

*** Apud SVIDAM in Βραχμᾶνες.

trecentos vtique, quin et quadringentos viuendo superasset. Quod si igitur, quod DAMIS de Memnone Macrobio Aethiope nugatur, ne de Macrobiis quidem, quales a veteribus nobis repraesentantur, cum aliqua veri specie dici potuit, quanto minus de Thebaeis Aegyptiis, qui Memnonem ciuem suum extitisse, perhibebant? Quantum non ab inepto hoc figmento, distat Aegyptiorum traditio de illis regibus, qui *Amenophis* nomen gesserunt? Primus enim ex illis * annos regnavit viginti et septem: secundus annos triginta, ac menses quinque: tertius nouem et decem annos, mensesque sex. De quarto autem *Amenophi*, nihil neque ** MANETHO, neque *** CHAEREMON commemorant, quod credere nos iubeat, † eum communem vitae humanae sortem atque terminum aliqua superasse. Haec tam prolixe persecutus minime essem, nisi viderem †† viros in doctrina temporum Principes, figmentum illud DAMIDIS putidum, non modo referre; verum illud etiam admittere, illique rationes temporum accommodare. Mihi post haec, quae nunc disputaui, tuto affirmare licebit, narrationem illam DAMIDIS, aut nil esse, nisi figmentum ineptum et nugacissimum, aut subesse illi sensum aliquem arcanum, ex doctrina Sacerdotum mystica explicandum. Non ego, postremum hoc, moribus Aegyptiorum tam bene congruens, mihi maiorem in modum placiturum fuisse, si testimonio alius cuiusdam Scriptoris fide digni confirmatum vidissem.

De rebus ab Amenophi gestis, Aegyptiorum traditiones.

§. 2. Quod attinet ad res gestas *Amenophis*, siue *Memnonis* Aegyptii, de iis MANETHO aut literis mandauit nihil, aut quod mandauerat, diu iam deperditum est. In fragmento certe huius Scriptoris, quod IOSEPHVS conseruauit, tres quidem reges, nomine *Amenophis* nobiles, commemorantur; sed ††† praeter annos, quos regnando expleuerunt, aliud quicquam de illis ibi non refertur. In *Dynastiis* eiusdem, sicuti AFRICANVS et EVSEBIVS eas digesserunt, monetur quidem * de secundo ex his regibus, quod is sit, cuius

* IOSEPHVS *aduersus Apion.* Lib. I. §. 15. p. 446. 447.

** Apud IOSEPHVM, *aduers. Apion.* Lib. I. §. 26. p. 460. 461.

*** Apud eundem, vbi supra, §. 32. p. 465.

† Vide mox §. 2. not. ***.

†† MARSHAMVS in *Canone Chron.* p. 432.

††† Vide IOSEPHVM *aduers. Apion.* Lib. I. §. 15. p. 446. 447.

* In SYNCELLI *Chronographia* p. 72.

ius habeatur coloſſus ſaxeus, loquela praeditus. At praeter hoc, nihil de eo amplius traditur. Et dubitari inſuper non immerito poteſt, fueritne hoc ab ipſa MANETHONIS manu profectum. Eſt et in eiusdem *hiſtoria Aegyptiaca*, * quartus *Amenophis*, de quo extat ** prolixa eius narratio; ſed illum IOSEPHVS fictitium et inſititium iudicat, malaque fide in catalogum regum Aegypti a MANETHONE intruſum. MARSHAMVS viciſſim, quod ſupra vidimus, cap. II. §. 6. ex temporum ratione concludi poſſe putat, hunc vere eſſe illum, cuius marmorea effigies a tot Scriptoribus celebratur. Ego, ſi quatuor extiterunt reges Aegypti, *Amenophis* nomine celebres, induci quidem non poſſum, vt credam, quartum inter hos illum eſſe, in cuius honorem Coloſſus Thebaeus erectus eſt. Sed de hoc quarto *Amenophi*, talia tamen a Sacerdote Aegyptio commemorari video, quae me quidem iudice, ad *Amenophin* noſtrum, ſiue *Memnonem* Aegyptium, referri debent. Adſcribamus quaedam huc ſpectantia, ex IOSEPHO Lib. I. *adu. Apion.* §. 26. 27. *Amenophin regem, fictum et contra hiſtoriae fidem catalogo regum inſerit, ideoque* *** *annos regni eius definire auſus non eſt, quamuis ceteris regibus annos, quibus regnarunt, accurate apponat. Et huic fabulas quasdam annectit, oblitus ferme eorum, quae tradiderat. — Hunc igitur Amenophin, quem ſupponit, ait deſiderio incenſum fuiſſe, videndi Deos, quod etiam Horo, alicui eorum, qui ante ipſum regnauerant, regi, contigiſſet, et hoc ſuum deſiderium patefeciſſe Amenophi cuidam, ſibi cognomini, filio Paapis, qui propter ſapientiam et praeſcientiam futurorum, diuinae naturae videbatur particeps: hunc vero dixiſſe regi, quod poſſet videre Deos, ſi regionem vniuerſam a leproſis immundisque hominibus perpurgaſſet.* Narratur deinde, quo pacto rex Amenophis, homines aliqua parte corporis mutilatos, vsque ad octoginta millia, in lapicidinas miſerit, quae in parte Aegypti orientali verſus mare rubrum ſitae ſunt, poſtea vero ipſis permiſerit, vt in vrbem Auarin a Sacerdotibus dictam Typhoniam, ſe reciperent, vbi ducem nacti ſunt Moſen, Sacerdotem quondam

* Vide cap. II. §. 6.

** Apud IOSEPHVM Lib. I. *adu. Apion.* §. 26.

*** In ipſo MANETHONIS Opere annos regni huius Amenophis non repererat IOSEPHVS. At vero, qui Dynaſtias eius digeſſerunt, AFRICANVS et EVSEBIVS, largiti ſunt ipſi, prior annos XX. poſterior vero XI. MARSHAMVS p. 433.

Heliopolitanum, * cui nomen Aegyptium fuit *Oſarſiph*, vel *Oſirſaph*. Dum vero in vrbe Typhonia a priſtinis malis requieſcerent, contigiſſe fertur, vt Paſtores, qui olim Aegypto potiti erant, deinde vero in Syriam Palaeſtinam receſſerant, iam redirent, ſeque ad illos adiungerent; ſed et peſſimis modis eos affligerent. Vltimo denique loco commemoratur, Amenophin valido Aethiopum exercitu adiutum, Paſtores et immundos homines aggreſſum eſſe, eosque ex Aegypto in Syriam repuliſſe. Haec eſt ſumma eorum, quae de Amenophi ſuppoſititio, literis conſignauerat MANETHO, et quae prolixius apud IOSEPHVM legi poſſunt. Quaedam in his occurrere, quae vix alium quam myſticum ſenſum admittunt, etiam me non monente, lector attentus et exercitatus facile obſeruabit. Et nos plura iſthac de re diſputabimus *Synt.* III. cap. VI.

Oſymandyae, qui ab Amenophi non differt, res geſtae.

§. 3. In Superioribus poſt MARSHAMVM, ** obſeruauimus e STRABONE, *Oſymandyam* HECATAEI, re ipſa non differre a *Memnone* Aegyptio, vel *Amenophi*, etſi Scriptores plerique duos hos a ſe inuicem diſtinguant. Ipſe quoque DIODORVS *Siculus* *** qui narrationem HECATAEI de *Oſymandya* nobis conſeruauit, † ſi verba eius curate expendantur, obſeruationem noſtram mirifice confirmat. In Statua huius *Oſymandiae*, vel *Memnonis*, aliorum tamen fide, hanc Inſcriptionem legi perhibet, quam ſecuti †† MARSHAMVM, talem hic exhibemus.

Βατιλεὺς Βασιλέων Οσυμανδύας εἰμί.
Ἐι δέ τις εἰδέναι βέλεται πηλίκος εἰμί, καὶ πῦ κεῖμαι
Νικάτω τι τῶν ἐμῶν ἔργον.

Sum Rex Regum Oſymandyas; Si quis noſſe velit, quantus ſim, et vbi iaceam, vincat aliquid meorum Operum. Statua haec, quam DIODORVS ſubinnuit, etſi eam oculis ipſe vſurpaſſe minime videatur, hodieque, vti auguror, ſupereſt, eamque, ſi recte coniicio, RICHARDVS POCOCKIVS accurate delineatam aeri incidi curauit. Verum enim vero, Inſcriptio haec DIODORI nunc in illa non modo

* Vide *Prolegomena* ad *Pantheon* noſtrum §. XI. n. **.
** Vide ſupra cap. I. §. 7.
*** Lib. I. p. 43. 44.
† Vide *Synt.* III. cap. V. §. 2. 3.
†† *In Canone Chron.* p. 428.

do non legitur; ſed nulla etiam illius indicia et veſtigia apparent. Neque etiam memini, ex veteribus quenquam, vno DIODORO excepto, Inſcriptionis illius mentionem iniicere qualemcunque, tametſi Statuam memorent permulti, et quidam ex iis, eandem ſatis prolixe deſcribant. Et id tamen, quod DIODORVS memoriae prodidit, Sacerdotes Aegypti, * e *commentariis* ſuis *ſacris*, vt iactabant, retulerant Hecataeo Mileſio, aliisque Graecis, qui poſtea id ipſum literis conſignarunt. Ab hiſce auctoribus, diu iam deperditis, rem hanc accepit DIODORVS. Poteſt exemplo hoc colligi, quam ſtrenue et ſuauiter, Sacerdotes Aegyptii, inprimis a tempore Ptolemaeorum, ** quo omnis eorum ſcientia arcana, quam ſibi tamen arrogabant, vehementer diminui, et paulatim plane interire coeperat, peregrinis imponere ſolerent. Licet etiam ex eo aeſtimare, quae fides hominibus his haberi poſſit, quando interpretationes Obeliſcorum priſci aeui, aliorumque antiquorum Monumentorum, literis hieroglyphicis conſcriptorum, iactarunt, aliisque fidenter venditarunt. Nam etſi minime negare velim, eos memoriam quarundam rerum, Monumentis his inſcriptarum, a Maioribus acceptam, conſeruare potuiſſe, et id tamen certum eſt, *** plurimos ſibi talium rerum ſcientiam attribuiſſe, qua re ipſa plane deſtituti erant. Verum ea haud quaquam ignorare videri volebant, quae maiores ipſorum, diligentia et opera mirifica memoriae mandare, lapidibusque non facile perituris inſcribi voluiſſent.

§. 4. Sed operae pretium fuerit, noſſe, quaenam ſint magna illa et admiranda opera, Oſymandyae, quae in Inſcriptione DIODORI, illi tribuuntur, et in quibus ipſum ab alio quoquam vinci poſſe negabatur. Et iſtud auctor idem ille egregius nos docebit. Ex aliorum enim narratione refert, poſt atrium iſtud, in quo erecta ſtabat Oſymandyae Statua, ſequi Periſtylion atrio praeſtantius et magnificentius, vbi in marmore literis hieroglyphicis inſculpta cernebantur magna regis huiuſce facta, et opera illuſtriora. Commemorabatur illic † *bellum geſtum cum Bactris, qui deſciuerant ab eo, aduerſus quos exercitum eduxerat quadringentorum millium peditum, et viginti millium equitum. Exercitus in quatuor agmina diuiſus, a totidem ducebatur* *In eodem argumento pergitur.*

* DIODORVS, vbi ſupra, p. 44.
** Videri poſſunt *Prolegomena* ad noſtrum *Pantheon*, §. LXIV.
*** Eadem *Prolegomena*, vbi ſupra.
† DIODORVS p. 44. 45.

filiis regis. In primo pariete rex conſpiciebatur murum oppugnans amni circumfluum, in primaque acie cum hoſtibus oppoſitis dimicans, ſocio leone, cuius vna cum rege pugnantis terribilis erat ſpecies. — In ſecundo pariete cernebantur captiui huius regis tracti, absque viribus et manibus, quo effoeminati eorum animi videntur ſignificari. Tertius inde paries omnis generis ſculpturas et picturas inſignes exhibet, quibus victimae regis et triumphus ob illud bellum profligatum actus, exprimitur. &c. &c. Et poſt paucula interiecta. *Exinde ambulachrum eſt variis aedificiis refertum. Tum affabre ſculptus et floride pictus rex ſpectatur, aurum et argentum Deo offerens; quod annuatim rex ex omni Aegypto, de argenti et auri fodinis percepit. Summa quoque ad argenti rationem adſcripta erat trecenties vicies centena minarum millia.* Vides, quantae tribuantur regi huic laudes. Plura apud DIODORVM videri poſſunt. * *Summa eſt, hunc regem, non bello tantum, ſed etiam pace magnum; erga Deos pium; erga homines iuſtum fuiſſe.* Quis vero quaeſo, Opera haec *Oſymandyae* apud DIODORVM legens, animoque ſuo voluens, in eam ſe induci facile patietur ſententiam, hunc ipſum, eundem eſſe cum *Amenophi* quarto, de cuius rebus ex MANETHONE quaedam attulimus §. 2. quod aſſerit ** MARSHAMVS; cum tamen duorum horum regum facta et res geſtae, toto coelo differant? Et cui viciſſim, lectis iis, quae de *Oſymandya* praedicantur, non in mentem confeſtim veniat, ea ipſi tribui, quae alii de magno *Seſoſtri* narrant. Conferantur modo, quae ex Diodoro de rebus *Oſymandyae* hic deſcripſimus, cum hiſce TACITI Annal. Lib. II. c. 60. *Mox viſit veterum Thebarum magna veſtigia. Et manebant ſtructis molibus literae Aegyptiae, priorem opulentiam complexae: Iuſſusque e Senioribus Sacerdotum patrium ſermonem interpretari, referebat, habitaſſe quondam ſeptingenta millia aetate militari: atque eo cum exercitu regem *** Ramſen Libya, Aethiopia, Medisque et Perſis, et BACTRIANO, ac Scytha potitum; quasque terras Suri, Armeniique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Libycum ad mare imperio tenuiſſe. Legebantur et indicta gentibus tributa, pondus argenti et auri, numerus armorum equorumque, et dona templis ebur atque odores.* &c. Narranturne et ab hoc et ab illo

* MARSHAMVS in *Canone Chronico*, p. 425.
** Ibid. p. 424.
*** Hunc viri doctiſſimi eundem exiſtimant cum Seſoſtri.

illo res penitus eaedem? Et hinc peti forte ratio poterit, quod * nonnulli olim *Amenophin* Thebaeum nominarent *Seſoſtrin*, etſi id ab omni veri ſpecie repulſum eſſe, aliamque etiam famae huius rationem reddi poſſe, monuerim cap. I. §. 7. Prior tamen coniectura, quod non diffiteor, aliquid ex eo pondus accipit, quod nonnulli Statuas memoriae et honori Seſoſtris conſecratas, *Memnoni* Aegyptiorum, ſiue *Amenophi* attribuerent.

Amenophis vel Oſymandyas Labyrinthum non conſtruxit.

§. 5. Quod ſi vera narrat STRABO, *Oſymandyae* huic debetur etiam conſtructio Labyrinthi in Aegypto, quod videtur fuiſſe aedificiorum omnium, quae in mundo vnquam condita fuere, ampliſſimum, ſumtuoſiſſimum, et admiratione digniſſimum. Verba eius ſunt Lib. XVII. p. 559. *Quod ſi, vt nonnulli aiunt, Memnon ab Aegyptiis Iſmandes dicitur, etiam Labyrinthus nomine Memnonii condecorandus erit, opus videlicet illius, cuius et extant Abydi et Thebis Monumenta. Nam et illic Memnonia oſtenduntur.* Non animus hic eſt, de conditoribus Labyrinthi accurate diſputare, ad cuius mirabilem Structuram, quod ex indiciis nonnullis colligo, Iſraëlitas ſeruitute Aegyptiaca preſſos, adhibitos fuiſſe auguror; verum obſervo tantum, id quod ex STRABONE hac de re attulimus, non niti fide veterum Monumentorum; ſed eſſe meram tantum coniecturam nobiliſſimi Scriptoris. Sciebat nempe, eum quem Graeci *Memnonem* appellare ſolerent, ab ipſis Aegyptiis *Amenophin;* ſed et *Iſmanden*, vel *Uſmenden* nuncupari. Audiuerat etiam ex fama, ſane obſcura et valde incerta, illi qui in Labyrintho ſepultus eſſet, nomen fuiſſe *Imandis.* Ex hac ſoni in duobus nominibus qualicunque ſimilitudine et affinitate, colligit Scriptor eximius, verum ſermonis Aegyptiaci expers, duo haec nomina eſſe vnius tantum viri. Quot non conſimilis argumentationis exempla, in MARSHAMI *Canone Chronico*, et PERIZONII *Aegyptiacis*, et haud minus apud alios quoque hiſtoriae et Chronologiae veteris inueſtigatores, reperire licet? Quare operae vix pretium eſt, hariolationem illam praeſtantiſſimi Geographi, ſerio confutare. Adſcribam tamen iudicium ea de re MARSHAMI, quod non poſſum non magnopere probare. Ita autem ille p. 426. poſtquam STRABONIS verba, etiam a me prolata, adduxiſſet. „Paulo ante idem de Labyrinto dixerat, *ſepulti nomen eſſe Imanden,*

* PAVSANIAS p. 101.

a Lib. I. p. 30. C.

„*den*, qui * in *Epitome* ſcribitur Μαίνδης. Apud Diodorum a „*Mendes ſepulchrum ſibi conſtruxit Labyrinthum*, quem cum *nihil* „*bellici ſuſcepiſſe* dicat, ille Memnona non intellexiſſe videtur. „ et quae illic plura ſequuntur. Quibus vnicum hocce addo, plerosque conditorem Labyrinthi vocare non *Menden* vel *Imanden* ** verum *Moerin*. Et ſi vel Operis huius admirandi auctor, aut qui primus in eo ſepulchrum inuenit, *Mendis* aut *Imendis* nomen geſſiſſet, quod valde incertum eſt, alius tamen omnino ab *Oſymandya* Thebaeo, cenſeri omnino deberet.

* Ea ab HVDSONO edita eſt inter Geographos minores. Vide eam To. II. p. 220.

** Vide MARSHAMVM Lib. cit. p. 237. 238.

SYN-

SYNTAGMA III.

De Statua celeberrima Memnonis Aegyptii, siue Amenophis et Osymandyae.

CAPVT I.

De magna, in qua Statua haec apud veteres fuit existimatione.

Magna quondam fuit celebritas Statuae Amenophis in Thebaide. §. 1. Etiam postquam mutilata esset, a veteribus magnopere celebrata fuit. §. 2. Qui iter in Aegyptum suscipiebant, Statuam quoque Memnonis inspicere solebant. §. 3.

§. 1.

Magna quondam fuit celebritas Statuae Amenophis in Thebaide.

Transeo nunc ab Amenophi siue Osymandya, ad celebratam tot veterum Scriptis, Statuam eius saxeam, prope Thebas, in Aegypto superiori, erectam, ad quam visendam tot vndique spectatores, indigenae et peregrini, confluebant, et quae ab omnibus olim inter admiranda Aegypti numerata fuit. Vix igitur ex Scriptoribus vetustis quisquam de Aegypto, et spectatu in illa dignis, loquitur, quin etiam Statuae huius celebris mentionem iniiciat. Exemplo sit DIONYSIVS *Periegetes*, qui in breui Orbis descriptione, vbi ad Aegyptum peruenit, Memnonem siue Statuam Osymandyae tacere non potuit. Sunt enim hi eius versus, etiam supra allati:

Ἡ μὲν ὅσοι Θήβην ἐριβυδέα ναιετάασι
Θήβην ὠγυγίην ἑκατόμπυλον, ἔνθα γεγωνὼς
Μέμνων ἀντέλλασαν ἠὴν ἀσπάζεται Ἠῶ.

Et qui Thebas percelebres inhabitant:
Thebas priſcas, centum portas habentes: vbi reſonans
Memnon exorientem ſuam ſalutat Auroram.

Quare ſatis mirari non poſſum, HERODOTVM, diligentem illum antiquitatum Aegypti inueſtigatorem et narratorem, Statuae illius admirandae mentionem iniecisse nullam. Ipse equidem * in ſuperioribus, lectorem obſeruare iuſſi, Scriptorem hunc laude digniſſimum, in loco, vbi id minime expectaſſes, obiter ac aliud agendo, Statuae iſtius fortuitam et breuem facere mentionem. At vbi res ipſa id poſtulare videbatur, vbi admiranda Aegypti praedicat, vbi de Thebis Aegyptiis, vbi de Diis et Sacris magnae illius vrbis referre ſatagit, prodigium Statuae Thebaeae commemorare negligit. Non ſane diffiteor, Statuam Amenophis, illo iam tempore, quo Herodotus Aegyptum itineribus peragrauit, ſiue iuſſu ferocis Cambyſae, ſiue, vt alii narrant, terrae motu, violatam et media corporis parte diſruptam fuiſſe. Verum caſus ille tamen non effecit, vt Statuae huius miraculum, ſonitus oriente Sole, a lapide emiſſus, deſierit penitus. Teſtimonia, quae iamiam in medium proferam, ſatis oſtendunt, vocem illam lapidis, loquelam imitantis, auditam poſthaec ſemper fuiſſe, vſque ad ſeculum IV. aerae Chriſtianae. Suſpicari tamen quis poſſet, Statuam Memnoniam, tempore Herodoti, mutilatam quippe et ex parte collapſam, neglectam iacuiſſe, et diu demum poſt, forte regnantibus Ptolemaeis, vocem miraculoſam, Coloſſo huic, etſi truncato, reſtitutam fuiſſe. Inter omnes certe, quos memoria repetere poſſum, MANETHO Sacerdotum Aegyptiorum tempore Ptolemaei Philadelphi Princeps, primus eſt **, qui et ſtatuae Memnoniae diſertis verbis meminerit, et vocis admirandae a Statua hac emiſſae. Is vero annis circiter ducentis Herodoto iunior extitit. Sed dubitari etiam merito poteſt, an ab ipſo MANETHONE annotatio haec profecta fuerit, habueritne vero auctorem AFRICANVM, vel EVSEBIVM, quod mihi certe longe ſit veroſimilius. Quod ſi vero res iſta ita ſe habet, vti dixi, pronum eſt coniicere, ante Auguſti Imperatoris aetatem, neminem de voce Memnonis mirabili aliquid literis mandaſſe, remque hanc totam illo ipſo tantum tempore inter Graecos innotuiſſe. Nam non poteſt produci ante illud aeuum quisquam, qui vocis Memnoniae mirandae prodigium

* *Synt.* II. cap. I. §. 1.
** Apud SYNCELLVM in *Chronographia* p. 72.

digium celebrauerit. Quot vero non ſunt, qui ab illo tempore rem adeo miram et ore et ſcripto celebrarunt? Videtur res haec illo tempore tantum, haut vero antea itidem orbi graeco cognita fuiſſe. Teſtantur vero plures Scriptores antiqui, ante Cambyſis tempora, vocem Memnoniam valde celebrem, inque Aegyptiorum omnium ore fuiſſe. Neque video, cur id negari a quoquam debeat. Verum quo tempore HERODOTVS Aegyptum adiit, vox illa defeciſſe mihi videtur.

§. 2. Non tamen a Cambyſis tempore vox illa Memnonia in vniuerſum audiri deſiit. Sunt qui diu poſt caſum illum, celebris Statuae Memnonicae virtutem mirificam praedicauerint, laudibusque extulerint. PAVSANIAS poſtquam * de lapide quodam, in arce Megarenſium ſeruato, qui percuſſus alio lapide ſonum ederet, qualem edere ſolent fides digito pulſae, verba feciſſet, teſtatusque eſſet, ſibi rem hanc viſam fuiſſe mirabilem, confeſtim addit. *Verum enim vero, coloſſum qui Thebis Aegyptiis eſt, trans Nilum, —— maiori vtique cum admiratione ſpectaui. Statua ibi eſt ſedentis hominis*, et quae plura illic legi poſſunt, a nobis etiam in ſequentibus adducenda. Apud LVCIANVM ** in *Philopſeude*, Eucrates quidam introducitur, haec de ſe narrans. *Cum in Aegypto degerem adhuc adoleſcens, doctrinae gratia a patre miſſus, cupiui nauigio Coptum profectus, indeque ad Memnonem progreſſus, miraculum illud audire, eum videlicet ſonum edentem ad orientem ſolem.* TACITVS quoque emunctae naris Scriptor, *miraculis* in Aegypto, *Memnonis ſaxeam effigiem* accenſet. Locum dabimus §. 3. HIMERIVS tamen, Sophiſta non incelebris, magnam Statuae illius exiſtimationem, ex eo tantum deriuari debere contendit, quod conſpectui multorum ſubducta, in vltimo Aegypti angulo ſpectari tantum potuerit. Verba eius ſunt: *** Τὶς δ' ἂν εἴη πυραμίδων λόγος, εἰ μὴ πόῤῥω τοῦτο τὸ θέαμα. ἢ τῷ κατ' αἰθιόπας Μέμνονος, εἰ μὴ κατεῖνον ἄνω τῆς πολλῆς θέας ἡ μητὴρ ἔσησε. *Quis tanti faceret Pyramides, niſi via adeo longinqua ad ſpectandas eas eſſet emetienda: aut lapidem Memnonium in Aethiopum regione poſitum, niſi eam mater tam longe a conſpectu noſtro remouiſſet?* Vides in his, vti ſaepe alias, (§. 3.) Pyramides cum Statua Memnonis coniungi, tanquam quae prae reliquis omnibus, attenta peregrinatorum contempla-

Eam, etiam poſtquam mutilata fuiſſet, vehementer tamen celebrarunt veteres.

* In *Atticis* p. 101.

** Operum T. II. p. 496. Edit. Salmur.

*** Apud PHOTIVM in *Bibliotheca*, Cod. CCXLIII. col. 2032.

tione digna essent, plurimosque ad visendam Aegyptum allicerent. Notum vero est, Stupendis illis molibus, quas Pyramides vocant, inter VII. praecipua orbis miracula locum semper assignatum fuisse, illumque si * Poëtae sententiam audiendam putamus, primum:

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis;
Assiduus iactet nec Babylona labor.
Nec Triuiae Templo molles laudentur Iones;
Dissimuletque Deum cornibus Ara frequens.
Aere nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.
Omnis Caesareo cedat labor Amphitheatro:
Vnum prae cunctis fama loquatur opus.

Et cum his tamen Pyramidibus, praecipuis totius Mundi miraculis, comparatur Statua Memnonia, illarumque ad latus veluti a Scriptoribus ponitur. Ex quo de magna, in qua olim apud omnes fuit, existimatione, iudicium ferre licet.

Qui in Aegyptum iter suscipiebant, Statuam quoque Memnonis inspicere solebant.

§. 3. Vt ea, quae diximus, nouo argumento corroborentur, abs re non erit, exemplis luculentis ostendere, eos, qui animi oblectandi causa in Aegyptum proficiscerentur, interque hos, viros etiam Principes, ad Memnonis quoque Statuam iter suscepisse, vt quae de ea fama vulgauerat, ipsi propria experientia cognoscerent. De Alexandro M. cum Aegyptum occupasset, relatum legimus: ** *Cupido haut iniusta quidem, ceterum intempestiua incesserat, non interiora modo Aegypti; sed etiam Aethiopiam,* (id est Aegyptum superiorem) *inuisere Memnonis Tithonique celebrata regia* (Memnonium Thebaeum) *cognoscendae vetustatis auidum trahebat pene extra terminos Solis. Sed imminens bellum — otiosae peregrinationi tempora exemerat.* Satis ex his intelligi potest, CVRTIVM illius rei, cuius iniecerat mentionem, non optime fuisse peritum. Et sane plures in historia eius errores geographicos animaduerterunt viri eruditi. Id tamen ex antiquioribus Commentariis de vita Alexandri didicerat, heroëm hunc, vt Aegyptum totam in potestate sua vidit, ingenti desiderio videndi Memnonii in Thebaide

* MARTIALIS Lib. I. Epig. I. Alium ordinem seruat ANTIPATER *Sidonius*, in Anthol. Lib. I. cap. LIV. Ep. I.
** CVRTIVS Lib. IV. c. VIII. §. 3.

Thebaide exſtimulatum, inſtinctui huic obtemperaturum fuiſſe, niſi immenſa belli moles, ceruici eius imminens, ſubito eum avocaſſet. De Germanico ſimilia narrat TACITVS, *Annal.* Lib. II. c. 61. *Ceterum Germanicus aliis quoque miraculis* (in Aegypto) *intendit animum, quorum praecipua fuere Memnonis ſaxea effigies, vbi radiis ſolis icta eſt vocalem ſonum reddens: diſiectasque inter et vix peruias arenas inſtar montium eductae Pyramides.* Eandem fuiſſe Septimio Seuero Imperatori mentem, Scriptor vitae eius paucis ita refert: * *Nam et Memphim et Memnonem, et Pyramides, et labyrinthum diligenter inſpexit.* De Imperatore Hadriano, in hiſtoricis, qui aetatem tulere, tale quid relatum me legiſſe, recordari non poſſum. At teſtantur Epigrammata, Statuae Memnoniae inſculpta, a RICHARDO POCOCKIO vero deſcripta et edita, tum ipſum, tum Sabinam vxorem eius Statuam Memnonis vidiſſe, ſonumque ab eo prolatum audiuiſſe. Tetigerat id haud dubie AMMIANVS MARCELLINVS *in actibus Adriani et Seueri Principum*, quorum ipſe meminit Lib. XXII. p. 245. De Demetrio quodam narrat LVCIANVS in *Toxari.* ** *Aliquando etiam in Aegyptum eſt profectus, vt Pyramides et Memnonem viſeret: ſiquidem audiuerat, Pyramides quanquam excelſae eſſent, vmbram non praebere, Memnonem autem oriente Sole clamare.* Nihil vero aeque teſtatur, quanta vndecunque hominum multitudo, ad viſendum et audiendum Memnonem, ex Aegypto, aliisque regionibus confluere ſoleret, quam Epigrammata et Inſcriptiones, quae in Statua Memnonis hodieque leguntur, quasque cum notis edere operae pretium foret. Sunt equidem, vti eas RICHARDO POCOCKIO, viro de antiquitatibus Aegyptiacis praeclare merito, deſcribere, et poſtea in lucem edere licuit, multis et inſignibus vitiis paſſim vehementer inquinatae, eoque et lectu et intellectu difficillimae; at enim non eſt, quod dubitem, pleraque, quae in his Inſcriptionibus ſuperſunt menda, a viro docto, rerum Seculi II. aerae Chriſtianae bene perito, ſi opera adhibeatur diligens et indefeſſa, feliciter ſublatum iri. Tentarunt rem hanc non infeliciter viri doctiſſimi, nunc beatorum choro adſcripti, LEICHIVS et D'ORVILLIVS. Etiam atque etiam opto, vt alii veſtigiis ipſorum, pari cum ſucceſſu inſiſtant.

* SPARTIANVS *in Seuero* cap. 17.
** Operum To. II. p. 74.

CAPVT II.

De loco, vbi Statua Memnonis vel Oſymandyae ſpectanda fuit.

Statua Memnonis Aegyptii poſita erat prope vrbem Thebas. §. 1. Statuae illius ſitus paulo accuratius deſignatur, ex indicio veterum. §. 2. De Syringibus, apud quas Statua illa locatur a Pauſania. §. 3. Statua illa poſita erat in Porticu magnifica, quae ad Templum ducebat. §. 4.

§. 1.

Statua Memnonis Aegyptii poſita erat in Thebaide prope vrbem Thebas.

Ex iis quae in ſuperioribus de Memnone, tum Graeco, tum Aegyptio, ex veterum narrationibus attuli, intelligi ſatis ſuperque potuit, mirabilem illius Statuam, prope Thebas, ſiue Dioſpolin, in Aegypto ſuperiori, erectam, viſendamque fuiſſe. PHILOSTRATVS quidem, qui inclytam hanc effigiem ſaxeam toties commemorat, et curate deſcribit, aſſeuerat *, eam in Athiopia ab indigenis, in honorem regis ſui conſtructam fuiſſe, et colore, qui lapidi ineſt, nigro, genuinam eius formam referre. Et omnia recte perpendenti dubium eſſe nequit, quin Scriptor hicce, qui miram in rebus Geographicis imperitiam, vbique ad nauſeam vſque prodit, Aethiopiam intelligere voluerit, quae eſt ſupra Aegyptum, et in ea Memnonis ſui Statuam locauerit. Nempe nouerat bonus PHILOSTRATVS **, Poetas graecos, Memnonis ſui genus, vt plurimum ex Aethiopia, tanquam vera eius patria, deducere conſueuiſſe; verum ignorabat ***, antiquiores inter hos, ipſumque adeo HOMERVM, per *Aethiopiam* ſaepius intelligere *Aegyptum ſuperiorem*. Poterat tamen, quod ipſe ignorabat, ex tot aliis Scriptoribus egregiis diſcere, qui locum et ſitum Statuae Memnoniae tam accurate deſignarunt, vt nullus errori ſupereſſe amplius poſſet locus. Verum enimuero praeſtantiſſimorum horum auctorum ſcripta, manu tam diligenti non verſauerat, atque Rhetorum libros, et Poëtarum carmina, quibus ſe in errorem induci paſſus eſt.

§. 2.

* *De vita Apollonii* Lib. VI. c. III. itemque in *Heroicis* p. 672. et *Iconum* Lib. I. p. 742. Adde CALLISTRATVM in *Expoſitione Statuarum* p. 865. 876. 877. Edit. Paris. Morelli.

** Vide Synt. I. c. II. §. 2. 3.

*** Vide ibidem §. 4.

§. 2. Eos inter, qui ex veteribus Statuam Memnoniam oculis vſurpauere, eiusque locum et ſitum curate deſcripſerunt, eſt PAVSANIAS, qui illa de re hunc in modum ſcribit: * *Thebis trans Nilum ad Syringes, quae ſic vocantur, Statua eſt hominis ſedentis ** reſonans, quam vulgo Memnona vocant, —— Verum Thebaei non dicunt Memnonem, ſed Phamenophin, aliquem ex indigenis eſſe, cuius erat illa Statua.* Obſeruat itaque auctor hic, diligens inprimis et accuratus, Coloſſum Memnonium viſum ſibi eſſe 1) apud *Thebas Aegyptias.* Nimirum locum innuit, de quo *** Poëtam nouimus canere: *Situs illius Statuae ex veteribus paulo accuratius deſignatur.*

Dimidio magicae reſonant vbi Memnone chordae
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.

Idque Poëtae huius aeuo, vti hodie doctis, etiam vulgo notum erat. 2) *Trans Nilum*, quod intelligendum eſt cum reſpectu ad ipſam Thebarum vrbem. Vrbis huius ampliſſimae, et vaſtae magnitudinis, pars maxima et praecipua † ſita erat ad littus Nili orientale, in *Arabia*, quam veteres ſic vocant, *Aegyptiaca.* Trans Nilum vero, ad littus eius occidentale, in *Libya*, vt ſaepe veteres loquuntur, *Aegyptiaca*, cernebatur *Memnonium*, cuius praecipuum et mirabile decus erat Statua Memnonia. Videbimus id mox auctoritate STRABONIS confirmatum, et teſtimonio peregrinatorum illuſtrium, qui rem etiamnum ſic ſe habere docent. Spectat huc Epigramma graecum ASCLEPIÓDOTI, hodieque in baſi Statuae Memnoniae legendum, quod †† ſupra deſcripſimus, nam in eo affirmatur, Coloſſum Memnonium partim ſtare, partim iacere:

Αἰγύπτῳ Λιβυκῇσιν ὑπ' ὀφρύσιν, ἃ ἀποτάμνει
Καλλίπυλον Θήβην Νεῖλος ἐλαυνόμενος.

Aegypti Libycis ſub tumulis, vbi abſcindit
Pulchras portas habentem Theben Nilus incitatus.

Addit PAVSANIAS 3) Memnonis Coloſſum conſpici; vbi ſunt *Syringes ita dictae*, πρὸς τὰς σύριγγας καλουμένας. Ille vero ††† *Aegyptiorum Syringes multorum Scriptorum Oratione celebratae ſunt et decantatae.*

* *In Atticis* p. 101.
** In graeco eſt ἄγαλμα ἠλεῖον, pro quo SCALIGER *Animaduerſion.* in Euſebium p. 25. legit ἠχεῖον, quod miror in vltima Editione *Pauſaniae* obſeruatum non fuiſſe.
*** IVVENALIS Sat. XV. init.
† STRABO Lib. XVII. p. 561.
†† *Synt.* I. cap. III. §. 4.
††† AELIANVS de *Animal.* Lib. VI. c. 43.

cantatae. Quid autem ſint hae Syringes, et vbinam in Aegypto quaerendae, hactenus, quantum ſcire mihi datum eſt, nemo accurate et luculenter oſtendit. De voce Συρίγξ, ſitne originis graecae, an vero *, quod mihi aliquando veritati ſimilius videbatur, Aegyptiacae, hic multis non diſputabo. Illud mihi tamen extra dubitationis periculum poſitum videtur, Graecos, quando de Syringibus Aegyptiorum loquuntur, voce hac vti tanquam domeſtica, illique adeo ſenſum indere, cui inter ſuos aſſueti erant. ** *Vocant* autem Graeci *Syringas cauernas minutas terrarum.* SYNESIVS, niſi fallor, easdem *** vocat Χηράμας, *cauernas ſubterraneas, latibula.* HESYCHII haec eſt interpretatio. Σύριγγες — *καταταρήσεις εἰς ἄλληλας ἐμπίπτουσαι. Dicuntur* Σύριγγες *foramina*, aut loca perforata et excauata, *quae in ſe mutuo incidunt.* Quale quid de anfractibus Labyrinthorum dici poteſt. Neque ſpernenda eſt iſta vocis eiusdem interpretatio, quam SYNESIVS alio loco, hunc in modum ſuppeditat. † *Ὄρος ἐστὶν ἡ Βομβαία κοῖλον, ὁ συνελθοῦσα τέχνη καὶ Φύσις εἰργάσαντο Φρούριον ἐρυμνότατον —— καί τινες αὐτὸ παρὰ τὰς αἰγυπτίων ἐξήταζον σύριγγας. Bombaia eſt petra caua, quam concurrentes ars et natura, caſtellum reddiderunt firmiſſimum. —— Quidam comparant eam cum Syringibus Aegyptiorum.* Erant igitur Aegyptiorum Syringes, cauernae plerumque oblongae, in montibus vel rupibus, magno labore, nec arte minori exciſae. Vnde STRABO viam illam, quae in Pyramide magna, ab introitu illius, ad ſepulchrum regis, cuius corpus medicatum, ante tria annorum millia, et amplius forte, conditum illic iacebat, etiamnum ducit, quamque peregrinatores non pauci, curate nobis delinearunt, *σύριγγα σκολίαν, Syringem obliquam* nuncupat, Lib. XVII. p. 555. Omnium optime Syringas Aegyptiorum deſcripſit AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XXII. p. 250. *Sunt et Syringes ſubterranei quidam et flexuoſi receſſus, quos, vt fertur, periti rituum veteſtorum — penitus operoſis digeſtos fodinis, per loca diuerſa Struxerunt: et exciſis parietibus, volucrum ferarumque genera multa ſculpſerunt, quas hieroglyphicas literas appellarunt, Latinis ignorabiles.* Tales Syringes, in rupibus magnis ſumtibus et labore immenſo excauatae, literisque hieroglyphicis, aut aliis ignorabilibus mirandum in modum

* In *Pantheo* Lib. V. cap. V. §. 17.
** AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XVII. p. 106. Edit. Lindebr.
*** In *Encomio Caluitii* p. 73.
† Epiſt. CIV. p. 246.

modum exornatae, in Thebaide cumprimis inferiori, paſſim numero ſtupendo inueniuntur, et a * peregrinatoribus peritis, quique artibus iuſtum ſuum pretium ponere didicerunt, non ſine admiratione conſpiciuntur.

De Syringibus, in quarum vicinia locatur Statua Memnonia.

§. 3. PAVSANIAS vero, quod intelleximus §. 2. ſyringes locat ad Thebas Aegyptias, et profecto ratione non improbabili, iam ſic colligere licet, oportuiſſe vtique, vt in illa Aegypti parte, ſyringes extiterint plurimae, et, vt credere par eſt, omnium etiam antiquiſſimae. Syringes enim dicebantur, teſte AMMIANO, (vid. §. 2.) loci ſubterranei, in rupibus exciſi, in quorum parietibus lapideis, literis hieroglyphicis, optimarum ſcientiarum inuenta, et quaeuis memoria poſteritatis digniora, inſcribebantur, aut in quibus Stelae, ſiue columnae marmoreae, ſcripturam hieroglyphicam complexae, aſſeruabantur. Et ** *terram ſyringicam* dictam eam nouimus, in qua primitus tales ſyringes conſtrui coepiſſent. Haec autem *terra Syringica* fuit ſine dubio Thebais, ac illa ſigillatim regio Thebaidis, quae Dioſpoli magnae, ſiue Thebis vrbi imminebat. *Thoth* enim, Aegyptiorum *Mercurius*, *** ſcripturae hieroglyphicae, vt ferunt, inuentor, † qui his ipſis literis, in gratiam Seculorum venturorum, Stelas et lapides in Syringibus conſcribi primus iuſſit, †† cuius nomini, quicquid lapidibus hiſce atque Stelis inſcribebatur, dedicatum erat et conſecratum, vt taceam, ††† nomen eius Aegyptiacum *Thoth*, reipſa nihil aliud, quam Stelam huiusmodi literis hieroglyphicis conſcriptam, ſignificare, *Thoth*, inquam, ille, patriam habuiſſe Thebas perhibetur, ideoque * Thebaeus ſubinde nuncupatur. Diſcimus etiam ex ERATOSTHENIS Catalogo regum Thebaeorum Aegypti, ſecundum ex illis regibus, dici *Athothen*, quod ERATOSTHENES ipſe inter-

* Poſſunt hic, ſi ita videatur, conſuli, *La relation d' un voyage fait en Egypte*, par VANSLEB p. 356 - 359. 378. 379. et ſaepius alibi, le troiſieme *voyage de* PAVL LVCAS To. II. p. 55. 56. 76. 77. *Les nouveaux Memoires des Miſſions* To. II. p. 128. &c. 217. &c.

** Vide *Pantheon* noſtrum Lib. V. cap. V. §. 15.

*** Videri poteſt *Pantheon* noſtrum Lib. V. cap. V. §. 15.

† MANETHO Lib. V. Apotelesm. V. 2. 3.

†† *Pantheon* loc. cit. §. 15.

††† Ibid. §. 16.

* CLEMENS *Alexandrinus* Lib. I. *Stromat.* p. 334.

interpretatur *Mercurio fatum;* ego vero *Mercuriale*m, eaque voce designari opinor, quod * alias pluribus expoſui, *regem cui eruditio, lapidibus inſcripta, et in Syringibus religioſe cuſtodita, curae cordique inprimis eſſet.* Syringes ergo Aegyptiorum primae et praecipuae, in Thebaide, et quidem circa Thebas vrbem quaerendae omnino erunt. Et ſane ibi etiam CALLISTRATVS in ipſo initio *Statuarum* p. 864. Syringem aliquam locat, eamque iſtum ad modum deſcribit. Ἄντρον ἦν τι περὶ Θήβας τὰς Αἰγυπτίας προτεικασμένον σύριγγι εἰς ἕλικας αὐτοφυῶς ἐν κύκλῳ περὶ τὰς τῆς γῆς ἑλιττόμενον πυθμένας. Οὐ γὰρ ἐπ' εὐθείας ἀνοιγόμενον, εἰς εὐθυπόρους αὐλῶνας ἐχίζετο, ἀλλὰ τὴν ὑπώρειαν περιτρέχον καμπὴν ὑπογείους ἕλικας ἐξέτεινεν, εἰς δυσεύρετον πλάνην ἐκπίπτον. *Antrum aliquod fuit apud Thebas Aegyptias in formam fiſtulae expreſſum, in quo ſubter terram gyri a natura in orbem contorti erant: non enim recto tramite apertum in directos tubos findebatur; ſed ſubmontanam flexuram circumcurrens, ſubterraneos anfractus protendebat, in errorem vix indagabilem et inextricabilem exiens.* Situm vero huius aliarumque Syringum diſtinctius nobis oſtendit PAVSANIAS, vbi teſtatur, quod ipſe viderat, *Statuam Memnonis videri apud Thebas prope Syringes.* Ibi igitur illae quaerendae erunt. Quod ſi iam quis, ea quae de *Syringum* indole et forma modo nunc diſputaui, expendere dignabitur, non inuitus mihi largietur, eas non poſſe non eſſe ſepulchra regum Thebaeorum, opera immenſa, et artificio ſtupendo, in rupibus prope vrbem Thebas excauata, aliasque cauernas ſubterraneas, in eadem regione reperiundas. Huiusmodi ſepulchra, operis prorſus admirabilis, olim fuiſſe numero quadraginta et ſeptem, Sacerdotes olim ** ex commentariis ſuis referebant, ex quibus decem et ſeptem Ptolemaei Lagidae tempore ſuperfuiſſe addebant. Et horum etiam pleraque, quo tempore DIODORVS Aegyptum luſtrauit, terra obruta et corrupta fuiſſe, *** is ipſe teſtatur. RICHARDVS tamen POCOCKIVS, qui noſtra aetate, Thebarum Aegyptiarum immenſa rudera oculis ſuis ſubiecit, † ſepulchra huiusmodi vidit numero decem et octo, et inter haec ad nouem ipſi patuit aditus. Praeter haec vero ſepulchra, plures etiam adiit cavernas

* In *Pantheo*, vbi ſupra, §. 20.
** DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 43.
*** Vbi ſupra p. 44.
† *Obſervations on Egypt.* p. 98.

vernas ſubterraneas, admiratione haud minori dignas, quam illa vere regia ſepulchra. De his iam regum ſepulchris Thebaeis, aliisque his vicinis cauernis ſubterraneis, obſeruaſſe iuuabit: 1) eas non eſſe a Memnonio vel loco Statuae Memnoniae longe remotas, quod de Syringibus PAVSANIAS teſtis oculatus affirmat. Audiamus rei eiusdem teſtem oculatum alium, STRABONEM, qui Lib. XVII. p. 561. *ſupra Memnonium*, inquit, *ſunt regum loculi, in ſpeluncis quibusdam, in lapidem inciſi, circiter XL. admirandum in modum ſtructi, ſpectatuque ſane digni.* Quibus addi debet teſtis oculatus tertius, peregrinator ille illuſtris, cuius modo feci mentionem, quo ſane nemo melius et curate magis haec omnia deſcripſit, et * qui verba haec STRABONIS mirifice confirmat. 2) Si quis eiusdem praeſtantiſſimi viri relationem de mirabilibus hiſce regum Thebaeorum ſepulchris attenta mente legat et penſitet, videbit ea eſſe *receſſus ſubterraneos, operoſis digeſtos fodinis*, vti loquebatur AMMIANVS, adductus §. 2. et *fiſtulas oblongas*, vti ſonant STRABONIS verba ibidem allata, in rupibus inciſas, quod te Syringibus veteres perhibent. Idem teſtantur etiam STRABONIS verba, quibus vſi nunc ſumus. 3) Nihil vero ea quae adſtruxi, validius firmat ac roborat, quam quod praecipuus, et initio, vt videtur, vnicus hic fuerit Syringum vſus, vt Monumenta priſci aeui Aegyptiaca, literis hieroglyphicis deſcripta complecterentur, et cuſtodirent. Nam huic rei ſepulchra etiam Thebaea, et vicinas cauernas ſubterraneas praecipue inſeruiiſſe, certum vtique et teſtatum eſt. Audiamus STRABONEM, de ſepulchris regum Thebaeis loc. cit. iſta obſeruantem. Ἐν δὲ ταῖς θήκαις ἐπί τινων ὀβελίσκων ἀναγραφαὶ ** δηλοῦσαι τὸν πλοῦτον τῶν τότε Βασιλέων, καὶ τὴν ἐπικράτειαν, ὡς μέχρι Σκυθῶν καὶ Βακτρίων, καὶ Ἰνδῶν — διατείνασαν, καὶ Φόρων πλῆθος, καὶ στρατιᾶς περὶ ἑκατὸν μυριάδας. *In hiſce regum ſepulchris, in obeliſcis quibusdam inſcriptiones ſunt, quae regum illorum diuitias, ac potentiam declarant, atque imperium vſque in Scythiam, et Bactrianam, et Indiam, — propagatum. Item tributorum magnitudinem, et exercitus hominum circiter millies millium.* Et omnia in hodiernum vsque diem, in ſepulchris illis et cavernis, plena eſſe literarum hieroglyphicarum, indefeſſa *** POCO-

* Vbi ſupra, p. 97.
** Legendum videtur δηλοῦσι, aut βλέποντας δηλοῦσας, aut ſimile quidpiam.
*** Lib. cit. p. 98. 99. 100.

CKII induſtria nos docuit. Crediderim, ſepulchra illa magnifica, initio quidem, aliis vſibus, Sacerdotum, vt credo, et Philoſophorum, conſecrata fuiſſe, inſecuto vero tempore, poſtquam Templa ſumtuoſa, et cum his domicilia Sacerdotum commoda, eſſent conſtructa, reges ſubterraneos illos receſſus condendis ſuis et ſuorum corporibus reſervaſſe. De cauernis certe, quae ſepulchra illa iungunt, id acutiſſimum * POCOCKIVM iam obſeruaſſe, non ſine voluptate deprehendi. Poſſem alia addere, ad confirmandum ſitum Statuae Memnoniae, ſi opus eſſet. Sed quis quaeſo plura deſideraverit?

Statua Memnonis poſita erat in Porticu magnifica, quae veſtibuli inſtar ad Templum ducebat.

§. 4. De regione igitur, in qua ſtetit ſaxea Memnonis effigies, dubium omne ſublatum eſt. Viſitur hodieque in illo ipſo loco, in quo ante tria circiter annorum millia, et forte amplius, reges Thebaei eam erigi curarunt. Verum quaeri poteſt, fueritne locus, Statuae huic aſſignatus, ager, omnium, profanorum etiam ſemper acceſſui expoſitus, an vero Templi aut Fani inſtar, Numini cuidam dedicatus, ſacerque habitus. PHILOSTRATVS ex relatione DAMIDIS ſui, locum iſtum ** appellat Τέμενος, *Templum*, vel *Fanum*. Neque aliter de eo loquitur PLINIVS, cuius iſta appono verba. *** *Non abſimilis illi* lapidi, *narratur in Thebis, delubro Serapis, vt putant, Memnonis Statua dicatus.* Et ſunt viri de antiquitatibus Aegypti egregie meriti, qui teſtimonium Sophiſtae nugacis, poſtquam rudera Thebarum priſcarum oculo attento inſpexerunt, ſuffragio ſuo corroborarunt, remque hodie etiam ſic ſe habere, aſſeruerunt. CLAVDIVS SICARDVS e Societate Ieſu, et Miſſionarius quondam in Aegypto, per plurimos annos, cui ſi vita longior ſuppetiiſſet, Aegyptus antiqua non parum debitura fuiſſet, in deſcriptione Monumentorum Thebaeorum, quae ſuperſunt, commemorat etiam † *Templum Memnonis* ſibi viſum. Et POCOCKIVS, vbi omnia, quae memoratu digna Thebis ordine recenſet, mentionem quoque iniicit Templi, non ita procul a ſepulchris regum Thebaeorum diſſiti, in quo duos vidit Coloſſos, e nigro marmore ſculptos, de quibus †† hoc addit. *Fuerunt, qui ſibi perſuaderent, alterum iſtorum Coloſſorum eſſe Memnonis.* Sed vera

* Vbi ſupra p. 97. 100.
** *De vita Apollonii* Lib. VI. c. 3.
*** Lib. XXXVI. c. 7.
† *Nouveaux Memoires des Miſſions* To. VII. p. 161.
†† *Obſervations on Egypt.* p. 101.

vera et genuina Statua Memnonis antiqui, quae tot indiciis se ipsam prodit, sibique ipsa testimonium perhibet inuictum, hos erroris manifesti conuincit. Ad PHILOSTRATVM vero vt reuertar, veritati vtique consentaneum est, quod deinceps loco eodem, ex scriptore bonae notae, fideque digno subiicit. *Locum vero, vbi* * *Memnonis Statua posita est, antiquo foro similem esse dicunt. Extant ciusmodi fora quaedam, in vetustissimis ciuitatibus, vbi et columnarum visuntur fragmenta, et parietum quaedam vestigia. Praeter sedes et limina, et Mercurii simulachra, partim manu, partim vetustate consumta, illic etiam conspici dicunt.* Refert autem POCOCKIVS, quod ipse oculis suis spectauit, ** ante Statuam Memnonis per spatium idonei intervalli, alias conspici Statuas, et longe plurium fragmenta, temporis hominumque iniuria, magnopere vitiata, et lithostroton hoc ducere ad aream, vnde satis apparere, idque non immerito, contendit, in illa regione Templum stetisse magni ambitus, ad quod aditum praebuerit Porticus bene longa, cuius generis in omnibus Aegypti Templis maioribus, adhuc vt plurimum conspiciuntur, et in hac Porticu visendam fuisse Memnonis Aegyptii, siue Amenophis, Statuam.

CAPVT III.

De Statua Amenophis, siue Memnonis Aegyptii, eiusque materia, forma, et magnitudine.

Veterum quorundam circa Statuam Memnonis errores notantur. §. 1. Statua haec tempore Cambysis disrupta, parteque sui dimidia fracta, humi iacet. §. 2. Statuam hanc, a Cambyse mutilatam, et veteres et recentiores ex visu, accurate descripserunt. §. 3. Dubia quaedam aduersus nostram sententiam mota diluuntur. §. 4.

§. 1.

Permulti semper fuere, qui in Aegyptum iter susciperent, vt viderent Memnonis Statuam, quod loca, supra cap. I. §. 3. adducta, et inscriptiones ipsi huic Statuae insculptae, et hodienum illic legendae, affatim

Veterum quorundam circa Statuam Memnoniam errores notantur.

* Sensum Textus graeci MORELLVS hic non est assecutus, ideoque versionem eius correxi.

** Vbi supra p. 102.

affatim teſtantur. Neque tamen Statua illa ita omnibus cognita erat, quin diuerſae eius extarent olim deſcriptiones, eaeque admodum nonnunquam a ſe inuicem diuerſae. Videmus enim, quosdam Statuam hanc nobis depinxiſſe, vt truncum rudem, omnisque artis plane expertem. PHILOSTRATVS in *Iconibus* Lib. I. p. 742. talem fuiſſe credere nos iubet celebratam illam Statuam. Somnia enim graecorum Mythographorum, * qui nobis hiſtorias multorum referunt, priſco aeuo in lapides mutatorum, is imitatus, talem quoque de Memnone ad Troiam interfecto, fabellam nobis offert. *Ipſe autem Memnon, in nigrum transformatus eſt in Aethiopia lapidem, qui figuram habet ſedentis.* Fidem huic nimis facile adhibens, ** gallicus eius, nec inerudítus, Commentator, citra ambages affirmat, Statuam Memnonis informem prorſus fuiſſe, nihilque niſi rudem truncum. Longe aliter de ea iudicat, qui tamen nec ipſe oculis eam vſurpaſſe videtur, DIODORVS *Siculus.* De hac enim, vt opinor, Statua loquens, ait: *** Τὸ δ' ἔργον τοῦτο μὴ μόνον εἶναι κατὰ τὸ μέγεθος ἀποδοχῆς ἄξιον, ἀλλὰ καὶ τῇ τέχνῃ θαυμαστὸν, καὶ τῇ τοῦ λίθου φύσει διαφέρον, ὡς ἂν ἐν τηλικούτῳ μεγέθει μήτε διαφυάδος, μήτε κηλίδος μηδεμιᾶς θεωρουμένης. *Opus id non tantum ob magnitudinem commendatione dignum, ſed etiam ob artem admirandum, et ſaxi natura excellens, cum in tam vaſta mole, neque fiſſura, neque labes vlla conſpiciatur.* Et hoc poſterius iudicium, ipſa Statuae adhuc ſuperſtitis attenta conſideratio, docet eſſe verum ac rectum. De colore etiam lapidis, ex quo Statua illa exſculpta quondam fuit, video inter ſe non parum diſſentire auctores. PHILOSTRATVS, quod iam vidimus, Memnonem ait, *in nigrum transformatum lapidem.* Sic idem *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3. *Memnonis Statua ex nigro fabricata eſt lapide.* Et ſic plerique. Fuit certe haec communior veterum perſuaſio, quae forte multos in ea non parum confirmauit opinione, Memnonem gente extitiſſe Aethiopem. TZETZES vero, cuius ea de re verſus † alio loco protulimus affirmat, columnam Memnoni poſitam, eſſe πυῤῥοποικίλου λίθου, *ex lapide rubicundo ſed varicgato*, cuius generis eſt lapis Porphyrites, et quem

* Plurima huius rei exempla, in OVIDII *Metamorphoſibus* occurrere, omnibus notum eſt.

** BLASIVS VIGENERIVS ad Philoſtrati Icones To. II. p. 149.

*** Lib. I. p. 44.

† Synt. II. cap. II. §. 2.

quem vulgo *granitum*, rubicundum nempe appellant. Sed qui noſtra aetate, Statuam hanc ſollicite inſpexit, RICHARDVS POCOCKIVS, teſtatur *, conſtructam eſſe ex genere lapidis graniti, poroſi, impenſae duritiei, cui ſimilis nuſpiam viſus ſibi ſit; ſed proxime tamen accedere ad ſpeciem aëtitae. Si porro PHILOSTRATO, auctori vitae Apollonii, credimus, artifex Statuae Memnonis, formam indidit plane peculiarem. Scribit enim Lib. VI. c. 3. Τὸ Μέμνονος ἄγαλμα τετράφθαι πρὸς ἀκτῖνα, μήπω γενειάσκον· λίθῳ δὲ εἶναι μέλανος. ξυμβεβηκέναι δὲ τῷ πόδε ἄμφω, κατὰ τὴν ἀγαλματοποιΐαν τὴν ἐπὶ Δαιδάλῳ, καὶ τὰς χεῖρας ἀπερείδειν ὀρθὰς εἰς τὸν θάκον· καθῆσθαι γὰρ ἐν ὁρμῇ τῷ ὑπανίστασθαι. Τὸ δὲ χῆμα τοῦτο, καὶ τὸν τῶν ὀφθαλμῶν νοῦν, καὶ ὁπόσα τῷ σώματος ὡς φθεγξαμένῳ ἄδουσι. *Ferunt autem Statuam Memnonis, iuuenis imberbis imaginem referentis, ad Solis radios conuerſam eſſe. Eſſe porro ex nigro lapide fabricatam, pedem vero vtrumque in vnum combinatum, ſecundum leges artis Statuariae, tempore Daedali receptas, manusque rectas ſedi inniti, hominis ſurgere volentis ſimilitudinem referentes. Oculorum autem et totius oris imaginem, quaſi locuturi hominis eſſe perhibent.* Quid autem in hac PHILOSTRATI deſcriptione cum rei veritate congruat, quidue ab eadem recedat, ex genuina Statuae huius hodieque exiſtentis effigie, quam ex Pocockiano opere deſumtam, Commentario huic noſtro addi curauimus, et ex relatione de eadem POCOCKII diligenti et accurata, cuius partem mox hic deſcribemus, omnium optime et tutiſſime intelligi poteſt.

§. 2. Monendum vero eſt, Statuam artificio mirabili ſculptam, talem amplius non conſpici, qualis ex manibus peritiſſimi Statuarii exiit. Nam a tempore Cambyſae, Perſarum regis, adeoque ab annis bis mille et trecentis fere, exquiſitum hoc praeſtantis artificis opus, mutilatum iacuit. Pars illius dimidia, ab eo, quo dixi, tempore, integra fere etiamnum ſubſiſtit, pars altera a reliquo corpore diuiſa, humi cubat. Qui Statuae huius adhuc dum integrae, ſibique viſae mentionem fecerit, hodie puto extare neminem, et veroſimiliter nunquam extitit. At mutilatam viderunt multi, quod ex nonnullorum proprio teſtimonio ſcimus. Si plerorumque veterum apud nos valere ſinimus auctoritatem, barbarae ferocitati Cambyſae, eiusque in Aegyptios odio immenſo in acceptis ferendum eſt, quod opus, in quo tanta enituerat artificis induſtria, mutilatum miſeris modis atque inquinatum, ad poſterita-

Statua haec tempore Cambyſis disrupta, dimidia ſui parte fracta, humi iacet.

* *Obſervations on Egypt.* p. 101.

ſteritatem tranſmiſſum fuerit. PAVSANIAS rem ab indigenis, in ipſo loco, vbi ſtat illa ſaxea effigies, auditam, hunc in modum refert. * Τοῦτο τὸ ἄγαλμα ὁ Καμβύσης διέσχισε. *Statuam hanc Cambyſes diffidit.* Eundem ad modum auctor *Chronici Alexandrini*, p. 388. Edit. Raderi ſcribit: Καμβύσης Αἰγύπτου κατέσχεν· Ὁ δὲ αὐτὸς καὶ τὸν Ἀμένοφιν, ὃς Μέμνων νομίζεται εἶναι — τέμνει. *Cambyſes potitur Aegypto. Is ipſe etiam Statuam Amenophis, quem putat eſſe Memnonem, diffindi curauit.* SYNCELLVS in *Chronographia* p. 151. de eodem Coloſſo lapideo, ex POLYAENO Athenienſi haec refert: Ὃν λίθον χρόνοις ὕστερον Καμβύσης ὁ Περσῶν τέμνει, νομίζων εἶναι γοήτειαν ἐν αὐτῷ. *Lapidem hunc temporibus inſecutis diſſecari iuſſit, Cambyſes, exiſtimans latere in eo neſcio quas praeſtigiatoris fraudes.* Et in ipſo Coloſſo inſculpta legitur Inſcriptio, quae hoc idem teſtatur. Initium eius ſic conceptum eſt:

ΕΘΡΑΥΣΕ ΚΑΜΒΥΣΗΣ ΜΕ ΤΟΝΔΕ ΤΟΝ ΛΙΘΟΝ
ΒΑΣΙΛΕΟΣ ** . . . . . ΕΙΚΟΝΑ ΕΚΜΕΜΑΓΜΕΝΟΝ.

id eſt:

Cambyſes vulnerauit me lapidem huncce,
Qui regis Solis imaginem expreſſam refero.

Eſt ne quisquam, qui non illico perſpiciat, ingenio et moribus inhumani Cambyſae, et forte Perſarum quoque illius aeui id apprime convenire? Illud certe liquet, famam hanc, de violata iuſſu Cambyſae Statua Memnonis, in Aegypto praeualuiſſe, quantumuis STRABO, cuius et doctrinae, et diligentiae, et iudicio plurimum tribuo, quique his, quos nunc ad teſtimonium vocaui, antiquior eſt, teſtetur p. 561, ſe in Thebaide audiuiſſe, *partem Statuae corruiſſe terrae motu.* Si vera STRABONI narrarunt Thebaei, videtur terrae motus Statuam illam concuſſiſſe, quo tempore Cambyſes Aegyptum afflixit. Et cum furorem eius omnium maxime perſentiſcere debuerit Thebarum vrbs, cum ne ipſis quidem in ampliſſima hac vrbe Templis rebusque ſacris vllo modo pepercerit, fieri potuit, vt Aegyptii et hanc Statuae Memnoniae calamitatem, efferatae barbari huius immanitati tribuerent, quod re ipſa terrae motus effecerat. Verum haec ſuo loco iam relinquo.

§. 3.

* In *Atticis* p. 101.

** Ex ductu vnius et alterius literae, ſed ferme exeſae, ſuſpicor, lacunam ſic expleri debere, ΗΛΙΟΝ, et ſic latine verti.

§. 3. Videamus nunc iam, quomodo Statuam hanc mirabilem; ſed neſcio quo caſu miſere mutilatam, deſcripſerint et veteres et recentiores, quibus videndae illius copia facta eſt. Inter antiquiores eſt PAVSANIAS, cuius in hac re teſtimonio vſi ſumus ſaepe. Locum integrum graece et latine hic adſcribendum eſſe duxi. Poſtquam de lapide quodam Megaris aſſeruato narraſſet, quod calculo percuſſus, eundem quem fides pulſae, ſonum redderet, illico haec addit *: Ἐμοὶ δὲ παρέχε μὲν καὶ τῦτο θαυμάσαι· παρέχε δὲ πολλῷ μάλισα Αἰγυπτίων ὁ κολοσσὸς ἐν Θήβαις ταῖς Αἰγυπτίαις διαβᾶσι τὸν Νεῖλον, πρὸς τὰς Σύριγγας καλεμένας. Ἔσι γὰρ ἔτι καθήμενον ἄγαλμα ** ἠχεῖον, Μέμνονα ὀνομάζεσιν οἱ πολλοί. Τῦτον γάρ φασιν ἐξ Αἰθιοπίας ὁρμηθῆναι ἐς Αἴγυπτον, καὶ *** τὴν ἄχρι Σέσων. Ἀλλὰ γὰρ ὁ Μέμνονα οἱ Θηβαῖοι λέγεσι, Φαμένωφα δὲ εἶναι τῶν ἐγχωρίων, ὃ τῦτο ἄγαλμα ἦν· ἤκεσα δὲ ἤδη καὶ Σέσωσριν Φαμένων εἶναι τῦτο τὸ ἄγαλμα, ὁ Καμβύσης διέκοψε, καὶ νῦν ὀπόσον ἐκ κεφαλῆς ἐς μέσον σῶμα, ἦν ἀπερριμμένον· τὸ δὲ λοιπὸν κάθηται τέ καὶ ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν ἀνίσχοντος ἡλίε βοᾷ, καὶ τὸν ἦχον μάλισα εἰκάσει τις κιθάρας ἢ λύρας ραγείσης χορδῆς. *Sed maiori vtique cum admiratione ſpectaui coloſſum qui Thebis Aegyptiis eſt trans Nilum, non longe a Syringibus, quas ita vocant. Eſt ibi Statua ſedentis reſonans, quam vulgus Memnonis nominat: Nam hunc ex Aethiopia in Aegyptum veniſſe, indeque ad Suſa vſque penetraſſe, tradunt. At ipſi Thebani Memnonem eſſe negant. Nam Phamenophin, vnum ex indigenis fuiſſe dicunt. Audiui etiam, qui Seſoſtris Statuam illam dicerent. Eam Cambyſes diffidit, et nunc etiam ſuperior pars a vertice ad medium truncum humi neglecta iacet: reliquum adhuc ſedere videtur, ac quotidie, ſub ipſum Solis ortum, ſonum edit, qualem vel cytharae vel lyrae nerui, ſi forte* (dum nempe tenduntur) *rumpantur.* Paria habet STRABO p. 561, vbi de Memnonio loquitur. *Hic*, inquit, *cum duo coloſſi eſſent, ex vno lapide ſculpti, alter adhuc extat, alterius vero ſuperiores a ſede partes corruerunt, terrae motu, vt fama eſt.* Operae pretium eſſe opinor, cum hiſce deſcriptionibus comparare relationem RICHARDI POCOCKII, viri etiam de hac Statua ſingulariter meriti, qui ante annos non multos, eam in Aegypto ipſe ſpectauit, et effigiem illius curate delinea-

Statuam hanc a Cambyſe mutilatam, cum veteres, tum recentiores, ex viſu curate deſcripſerunt.

* PAVSANIAS vbi ſupra.
** Vide ſupra cap. II. §. 2. not. †.
*** An non forte rectius legeretur ἐκεῖθεν?

delineatam, ac aeri poſtea inciſam, Operi huic nunquam ſatis laudato, inſeruit. Ex deſcriptione enim, quam addidit, ſatis intelligitur, rem in eodem fere ſtatu, a temporibus Strabonis et Pauſaniae, per ſecula XVI, perſeueraſſe. Sunt vero haec viri eximii verba: * *E Templo egrediens, proceſſi ad ſpectandum coloſſos, quos vocabo Memnonios, poſitos verſus vicum Medinet-Habou. —— Sculpti ſunt ex lapide ſpeciei prorſus ſingularis. Eſt poroſus, generis graniti, et inſignis duritiei, qualem nuſpiam antehac vidi, proxime tamen accedit ad ſpeciem aëtitae. — Coloſſi hi faciem cum maxime obuertunt Auſtro, verum tamen ex parte plagae etiam orientali, baſique impoſiti ſunt penitus lacuigatae. Illius, qui verſus Septentrionem ſitus eſt, baſis, pedes longa eſt triginta et tres, ſeptem vero et decem lata; alterius vero coloſſi baſis, longa eſt pariter pedes triginta et tres, ac nouendecim lata. A baſi vero Coloſſus vterque, vſque ad capitis verticem, in pedes circiter triginta quoque aſſurgit. Qui ad Auſtrum ſpectat Coloſſus, ex vno lapide exſculptus eſt; Qui vero ad Septentrionem vergit, media ſui parte eſt diſruptus ſupra brachia, quae poplitibus inituntur, eſtque ex quinque lapidibus compaginatus. Pedes ipſius, quarta circiter parte, ſi a digitis menſuram incas, fracti ſunt. Verum quandoquidem partes Coloſſi fractas, non ſeorſim delineauerim, ſatius putaui, Coloſſum hic repraeſentare tanquam integrum, ex dimenſionibus nimirum et obſeruationibus a me factis. Deprehendi autem altitudinem pedis, a planta ad ſummum vsque genu, pedum eſſe circiter nouem et decem: a planta pedis vsque ad talum, pedum duorum et ſex pollicum, ad calcis vero extremum, pedum quatuor. Pes ipſe latus eſt pedes quinque, cruris profunditas pedum eſt quatuor. Ornamentum quod a tergo capitis cernitur, videtur eſſe folium illius palmae, quam in Aegypto Doum appellant. Ad latus cruris vtriusque duae cernuntur Statuae, anaglyptice caelatae, et tertia inter crus vtrumque media, longitudinem hominis naturalem imitantes.* Et quae ibi porro ſequuntur. Quis quaeſo relationem hanc peregrinatoris hodierni, cum deſcriptionibus antiquorum Scriptorum, STRABONIS et PAVSANIAE, conferens, non illico perſpiciat, omnes hos nonniſi de vna eademque Statua loqui, de Statua nempe decantata et tantopere celebrata Memnonis Aegyptii, ſiue Amenophis?

§. 4.

* Obſervations on Egypt. p. 101.

§. 4. Quae cum ita ſint, mirari ſatis haud poſſum, fuiſſe viros eruditos, qui pertinaciter negarent, Coloſſum Thebacum, cuius delineationem debemus diligentiae POCOCKII, Statuam eſſe Memnonis, quam veteres tantopere mirati ſunt. CLAVDIVS SICARDVS, poſtquam commemoraſſet duas Statuas, a STRABONE olim, et nuper a POCOCKIO deſcriptas, * diuerſam ab his recenſet Memnonis Statuam, ac praeterea ſubinnuit, ** cerni eam in aliquo Templo erectam, vbi ſane conſpicitur Statua aliqua ex nigro marmore; ſed magnitudine multo inferior. Et hanc tamen *** eruditi quidam volunt eſſe Statuam Memnonis, veteribus laudatam. Tuentur ſe potiſſimum auctoritate PHILOSTRATI, qui ex DAMIDE refert, Statuam Memnonis ſtetiſſe in Templo, idque Templum foris antiquis non eſſe valde diſſimile. Vide cap. II. §. 4. Verum quam exigua poſſit eſſe in hoc negotio auctoritas PHILOSTRATI, ſaepe iam monendum nobis fuit. Et praeterea loco iam citato, ex POCOCKIO etiam obſervauimus, ſitum hodiernum Statuae Memnoniae, cum loco, quem ipſi aſſignat PHILOSTRATI relatio, haud ita difficulter conciliari poſſe. Vrgent iidem, lapidem, qui Statuae Memnoniae materiam ſubminiſtrauit, fuiſſe nigrum, aut vt loquitur PLINIVS Lib. XXXVI. cap. 7, *Coloris ferrei*, cum tamen Statua, cuius delineationem nobis dedit POCOCKIVS, coloris ſit vergentis in rubicundum, ſed ſubfuſcum. Sed meminiſſe debebant illi, quod ad colorem lapidis, ex quo ſculpta eſt Statua Memnonis, attinet, qui eſt ſpeciei plane ſingularis, apparere ipſorum veterum aliquem, cum inter ſe, (vide §. 1.) tum cum ipſa Statua diſſenſum; ſed qui recte excuſſus, eſt tantum apparens, non verus. Etenim, quoniam lapis ille coloris eſt ſubfuſci, trahens aliquid ex rufo, et aliqua ratione ad nigredinem quoque accedens: quia alia illius forma eſt externa, alius vero eidem, poſtquam fractus eſt, ſubeſſe color cernitur, nemo non videt, eos qui diuerſa dicere videntur, re ipſa tamen ſibi non contradicere; ſed ea potius, quae hac de re obſeruant, amice inter ſe conciliari poſſe. Verum quid aduerſus teſtimonia STRABONIS et PAVSANIAE, excellentium Scriptorum, et in hoc quidem negotio, teſtium oculatorum, quibus cum Statua a POCOCKIO deſcripta ad amuſſim concordat,

Dubia quaedam, aduerſus hanc noſtram ſententiam mota, diluuntur.

* *Nouveaux Memoires des Miſſions* To. VII. p. 162.
** Ibidem p. 161. 167.
*** POCOCKS *Obſervations on Egypt.* p. 101. 102. 104. in notis col. b.

excipi queat, plane non intelligo. Accedunt tot inſcriptiones graecae et Romanae, quae in Statua Pocockiana hodienum leguntur, pleraeque in honorem Memnonis confectae, aut teſtantes, illos, quorum nomina adſcripta ſunt, addita etiam temporis nota, vocem a Memnone, Sole oriente emiſſam, audiuiſſe. Quando autem quidam regerunt, peregrinatores tale quid in ſancta Memnonis Statua, auſuros nunquam fuiſſe, in eo vtique frustra ſunt. Nihil hic video, quo Sanctitas Statuae Memnoniae laeſa fuiſſe, vlla ratione credi poſſit. Omnes illae Inſcriptiones, ad laudes et honorem Memnonis tendunt, qui in illis non raro *diuinus* nuncupatur, quin et *Deus*. Scriptae ſunt in baſi et pedibus Statuae *, quod a moribus Graecorum et Romanorum alienum non eſt. Inſcriptiones ipſae poſitae ſunt ab hominibus Graecis et Romanis, eo tempore, quo priſca Aegyptiorum religio, in ipſa Aegypto, multorum contemtui expoſita erat, et quo regionis incolae graui Romanorum iugo premebantur. His omnia licuiſſe, ambigi non poteſt. Difficile adhaec cogitatu eſt, quomodo tot Inſcriptiones, omnes Memnonis et vocis eius diuinae laudes vnice celebrantes, Statuae huic eſſent inſculptae, niſi ipſius vere Memnonis Statua illa eſſet.

CAPVT IV.

De voce mirabili, a Statua Amenophis quotidie edita.

Eo nomine Statua Memnonis inprimis erat celebris, quod oriente Sole vocem ederet. §. 1. 2. Graecorum de voce hac a Statua Memnonis emiſſa, fabulae. §. 3. Ipſius rei veritas, ex Strabone et Pauſania, omnium vero optime ex Inſcriptionibus, in Statua Memnonis etiamnum legendis, cognoſci poteſt. §. 4. Adferuntur plures Inſcriptiones ex Statuae illius crure dextro. §. 5. Aliae itidem, ex eiusdem crure ſiniſtro, latinae. §. 6. Et graecae ex crure eodem. §. 7. Luciani locus de voce Statuae Memnoniae expenditur. §. 8. Cauſa huius prodigii alia non fuit, quam fraus Sacerdotum. §. 9.

§. 1.

* In baſi ſimulachrorum, artifices nomina ſua inſcribere ſolebant. Teſtatur id PLVTARCHVS in *Perikle* p. 161. et rei huius exempla, apud PAVSANIAM occurrunt plurima. Quin etiam in Statuarum femoribus vota moris erat inſculpere, quod nos docet APVLEIVS in *Apologia* p. 310. Edit. Elmenhorſtii. Adde omnino *l'utilité des voyages* de BAUDELOT p. 277. 278.

§. 1.

Hactenus de Statua Memnonis Aegyptii, siue Amenophis, quae calamitati sinae, annos fere bis mille et trecentos superuixit, et hodiemum a peregrinatoribus, antiquitatum Aegypti studiosis, cum voluptate spectatur, quae se offerebant, obseruauimus. Ipsa tamen haec Statua, tametsi ex marmore speciei singularis, et in ipsa Aegypto perraro, exsculpta, licet magnitudine alia huius generis signa et opera in Aegypto longe post se relinquens, quantumuis artificium Statuarii excellentis exquisitum referens, per se, in tanta apud veteres existimatione et admiratione futura non fuisset, nisi ad haec omnia superaccessisset quaedam miraculo species, vt cum veteribus loquar, siue res, quae spectatores omnes in admirationem, ac veluti stuporem, rapuit, et cuius veram causam, nec ipsi expiscari, nec aliis explicare valuerunt. Rem satis bene PHILOSTRATVS hunc in modum exponit, *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3, loquens de hac nostra Statua: *Erectae manus sedi imituntur, hominis surgere volentis similitudinem exprimentes.* Id postremum quidem in Statua Pocockiana non cernitur. Verum nunc iam ita pergit auctor ille. *Oculorum autem et totius oris species ac habitus, quasi locuturi hominis esse perhibetur. Et alias quidem Statuam illam minorem admirationem excitare aiunt, quam diu actionis omnis expers apparet. Cum vero solis radius Statuam attingit, — tum vero supra modum admirabilis visa est. Tunc enim Statuam loqui perhibent.* Isthanc miraculi illius indolem, CALLISTRATVS etiam in *Statuis* p. 867. hunc ad modum refert. *Memnonis Tithoni filii simulachrum erat in Aethiopia e marmore sculptum: verum id intra limites lapidi a natura praescriptos non manserat, neque taciturnam naturam retinebat: sed quamuis saxum esset, vocis facultatem habebat; nam orientem diem alloquebatur, gaudium designans, et ob matris praesentiam exhilaratus.* Pag. vero 865. dixerat: *Solus e lapidibus Memnon saxeus, voluptatis ac doloris praesentia ductus, a propria sibi inertia destitit, et victo sensus defectu, ad loquelae facultatem peruenit.* Et certe veteres omnes, vbi admirandam Memnonis Statuam describunt, miraculi huius mentionem facere minime negligunt. Verba PAVSANIAE, hominis non valde superstitiosi; sed de voce tamen Memnonia, haut sine impensae admirationis testificatione loquentis, dedi cap. III. 3. quae hic non repeto. Verbis illius, loc. cit. adductis, subiungamus hic Scriptorem alium, de proprio visu et auditu

Eo nomine celebris inprimis erat Statua Memnonia, quod vocem aliquam emittere soleret.

ditu pariter loquentem. Is eſt STRABO, qui non tantum, quod viderat et audiuerat ipſe, refert; verum et de tota re iudicium ſuum qualecunque interponit, p. 561. *Pars Thebarum*, ita is inquit, *eſt in regione trans Nilum ad Occidentem. Ibi Memnonium. Hic cum duo Coloſſi eſſent*, * *ex vno lapide conſtructi, inter ſe propinqui, alter adhuc integer extat, alterius vero ſuperiores a ſede partes corruerunt, terrae, vt fama eſt, motu. Creditum etiam eſt, ſemel quotidie ſonitum quendam, veluti ictus haud magni,* (ὡς ἂν πληγῆς ἀ μεγάλης) *edi a parte, quae in Sede ac baſi remanſit. Ipſe cum comes Aelio Gallo adeſſem, et cum reliqua multitudine amicorum ac militum, qui cum eo erant, circiter horam primam ſonitum audiui: vtrum a baſi, ſiue a Coloſſo, an vero ab aliquo coloſſum circumſtantium editus fuerit, non habeo affirmare: cum propter incertitudinem cauſae, quiduis potius credere ſubeat, quam ex lapidibus ſic compoſitis ſonitum edi.* Auctor hic egregius, cuius in iudicando perſpicacia eruditis et nota et laudata eſt, miraculum hoc lapidis loquentis, olim tantopere celebratum, ſatis aperte fraudibus Sacerdotum in acceptis refert, idque profecto haud immerito. Fideliter tamen rem, vti ſe habebat, retulit, eoque nomine grates ipſi libens perſoluo.

Vox autem illa ſtato ſemper tempore audiebatur.

§. 2. Miraculum lapidis huius, loquela praediti, ex eo non parum augetur, quod loquela eius ſiue vox, ſtato ſemper tempore audita fuerit. Perhibent enim veteres, Statuam hanc Amenophis, vocem quotidie emiſiſſe ſole exoriente. Nam ** *cum Solis radius Statuam attingeret, id quod circa Solis ortum contingere aiunt, tum ſupra modum admirabilis viſa eſt* Statua Memnonia. *Tunc enim Statuam loqui ferunt, vbi primum Solis radius ad eius os peruenit.* Tradebatur etiam a quibusdam, *** *ſacrificare* Memnoni, *circa Meroën et Memphin Aegyptios ac Aethiopes, quum primos Sol emiſerit radios, quibus Statua vocem emittit, qua eos, a quibus colitur, ſalutat.* Sacerdotes Aegyptii id ita interpretati ſunt, aut potius, plebem mirifice deluſam, credere tantum voluerunt, Amenophin voce iſta, Sole oriente

* Alter tamen eorum Coloſſorum, Memnonius videlicet, ex quinque lapidibus compaginatus eſt. Vide cap. III. §. 3. In eo igitur eximius auctor errorem admiſit.

** PHILOSTRATVS de vita Apollonii Lib. VI. c. 3.

*** Idem in *Heroicis* p. 672.

ente emissa, *Auroram* aut *Diem* matrem suam, salutare. Id versus DIONYSII *Periegetae* * supra iam adducti subindicant:

Θήβην ὠγυγίην ἑκατόμπυλον ἔνθα γεγωνὼς
Μέμνων ἀντέλλοντα ἠὴν ἀσπάζεται Ἠῶ.
Thebas priscas, centum portas habentes, vbi resonans.
Memnon exorientem suam salutat Auroram.

Ad quae EVSTATHIVS haec notat. Τὴν ἑαυτῆ Ἠὼ, τότεσι τὴν μητέρα ἡμέραν ἀσπάζεται. Ἀνδριὰς μὲν ὢν, διὰ τινος δὲ μηχανῆς ἅμα ἡμέρᾳ λαμβάτῃ φωνῶν, καὶ ὅτω πῶς ἐξ αὐτομάτου προσλαλῶν, οἷον καὶ ἀσπαζόμενος τὴν ἡμέραν, ἧς ἐλέγετο υἱὸς εἶναι. *Quando Poëta ait, Memnonem Auroram suam salutare, id vult, salutare cum matrem suam, Diem. Erat nempe* Memnonis *Statua, arte singulari ita constructa, vt illucescente die, vocem ederet, hocque pacto proprio quodam motu Diem alloqueretur, ac veluti salutaret, cuius perhibebatur filius.* Dixerat idem paulo ante, Matris huius Memnonis, Diei scilicet, simulachrum, ad Thebas australes positum fuisse. Vidimus autem §. 1. STRABONEM obseruasse, in eo loco, vbi conspiceretur Statua Memnonis, aliam stetisse huic consimilem. Et rem hodieque sic se habere, nouimus ex testimonio ** peregrinatorum recentiorum. Altera illa Statua, erat forte effigies saxea *Dei*, quam EVSTATHIVS designat. Alii fabulam hanc Sacerdotalem, de Aurora quotidie a Memnone salutata, nouis auxere figmentis, de quibus postea videbimus. Dixi *** alio loco, verosimile mihi fieri, rem hanc HOMERVM non latuisse, qui ea ipsa de causa *Memnonem* Graecorum, illustrem in bello Troiano heroëm, Aurorae filium cecinit, eoque multis insecutis figmentis materiam subministrauit foecundam.

Graecorum de voce a Statua Memnonis emissa, fabulae.

§. 3. Fabula igitur Graecorum est, qui HOMERI allegorias, et Poëtarum sequiorum inuenta, cum traditionibus symbolicis Sacerdotum Aegyptiorum sociantes, finxerunt, Memnonem, dum illucescente die, vocem emitteret, *Auroram* vel *Diem*, matrem suam salutare, eoque dolorem eius acerbum, de morte sua apud Troiam immatura, aliquo solamine leuare. PHILOSTRATVS in Iconibus p. 742.

* Cap. I. §. 1.

** CLAVDIVS SICARDVS dans *les nouveaux Memoires des Missions* To. VII. p. 162. POCOCK vbi supra p. 101.

*** Supra *Synt.* II. cap. I. §. 5.

742. graecanicam iſlam fabulam, non ineleganter his verbis exponit. Προσβάλλει τῷ ἀγάλματι ἡ ἀκτὶς ἡλίε. Δοκεῖ γὰρ ὁ ἥλιος, οἱονεὶ πλῆκτρον, κατὰ τὸ σῶμα ἐμπίπτων τῷ Μέμνωνι, ἐκκαλεῖσθαι φωνὴν ἐκεῖθεν, καὶ λαλοῦντι σοφίσματι παραμυθεῖσθαι τὴν Ἡμέραν. *Solis radii Statuam Memnonis contingunt. Sol enim Memnonis os, veluti plectro percutiens, vocem inde elicere, loquacisque ſophismatis inuento Diem*, matrem eius, *ſolari videtur.* Idem hoc ſignificare voluit CALLISTRATVS in *Statuis* p. 877. *Denique illud machinamentum* Statuae Memnonis loquentis, *moerores ſopiebat Diei, neque permittebat ei filium quarere, quaſi Aethiopum ars, ſolatio hoc compenſaret Memnonem fato interemtum.* Poterat fictioni huic, ex ea ſaltem ratione, color aliquis induci, quod Statua re ipſa, die illuceſcente, vocem a praeſentibus auditam, diſtincte ederet, eaque Diem aut Auroram, tanquam matrem ſuam, ſalutare credi poſſet. At enim alii figmento hocce, quod ab ingenio deſtitutum haud erat, nondum contenti, nouis illud fabulis ornari iucundiusque reddi poſſe, exiſtimabant, quae tamen nullum in re ipſa aut fundamentum habebant, aut praeſidium. Duplicem illi Memnonis Statuae affingebant vocem, matutinam alteram, laetam ac iucundam, alteram veſpertinam, triſtem et gemebundam. Tale quid PHILOSTRATVS garrit in *Statuis*, p. 865. *Hoc intuiti ſimulachrum, facile credimus, etiam lapidem illum Aethiopicum, qui Memnonis effigiem ſiſtit, vocalem extitiſſe, qui quidem accedente Die, praeſentia eius exhilaratus, gaudium voce teſtabatur; abeunte vero eadem, moerore tactus lugubre quid ingemiſcebat.* Et iterum p. 876. *Memnonis ſimulachrum, ſaxum cum eſſet, vocis facultatem habebat: nunc enim orientem Diem alloquebatur, voce gaudium deſignans, et ob matris praeſentiam exhilaratus: modo ad noctem, inclinata Die, miſerandum et anxium quid gemebat marmor, ob abſentiam moerore affectum.* Additur confeſtim ibidem, quod a ſolo hoc auctore videtur excogitatum. *Neque vero lachrymis lapis carebat; quin has quoque voluntati miniſtrantes habuit.* Eiusdem farinae ſunt, quae mox, poſt interiecta nonnulla, ſequuntur. *Illi certe Memnoni reſpondere Echo fama eſt, quoties loqueretur; et lugubre lamentanti, flebile carmen remittere: laetanti autem ſonum aemulum reddere.* Concinunt his verſus politici IOHANNIS TZETZAE, quos ex eius *Chiliadibus*, Chiliad. VI. hiſt. 64. adſcribo:

Εν τῇ πατρίδι δ' ἀπαχθεὶς, ἐτάφη δ' οἰκείᾳ
Καὶ στήλη τέτῳ γέγονε πυρροποικίλε λίθε
Μηχανιτὴ, χαρμόσυνον δ' ἡμέρα πέμπει μέλος:
Ὥσπερ ἐπιγαννύμενος μητρὸς τῇ παρεσίᾳ
Τῇ δὲ νυκτὶ τὶ γοερὸν ἔμπαλιν ἄδει μέλος.

In patria vero propria, poſtquam Troia abductus eſſet, ſepultus eſt:
Et poſuerunt ei Statuam ex varicgato lapide.
Artificioſe fabricatam, quae laetum oriente die emittit cantum,
Veluti gaudens matris praeſentia;
Noctu autem flebile quoddam contra canit carmen.

Plane vero ſingularia ſunt, nec magis tamen vera, quae de miraculo hoc literis prodidit, vetus quidam *Scholiaſtes Iuuenalis*, hucusque inéditus, cuius proinde verba et hic legiſſe, iniucundum non erit. * *Statua Memnonis, filii Aurorae, ita arte quadam mechanica compoſita erat, vt humana voce et regem et Solem ſalutaret. Poſtea rex Cambyſes, volens hanc rem cognoſcere, partem Statuae abſcidit, et ſic poſtea Solem tantum, non etiam regem ſalutabat. Vnde Poëta* dimidio Memnone *dixit.* Nempe quanto maior erat fama, quae de Statuae huius miraculo, apud omnes percrebuerat, tanto plures reperti ſunt homines otioſi, qui rei admirandae, iucundis, vt credebant, figmentis, nouum decus conciliari poſſe, exiſtimarent.

§. 4. Nolui ea, quae §. 2. et 3. expoſui, tacitus praeterire, quoniam paſſim apud veteres memoriae prodita reperiuntur. Sed pleraque tamen imaginationi foecundae, ac fictionibus Poëtarum et Rhetorum graecorum, vnice debentur, ipſis vt plurimum Aegyptiis penitus incognita. Quae in ipſa Aegypto, ac ſigillatim Thebis, hac de re, a viris grauibus reique bene peritis, perhiberentur, et peregrinis referrentur, ex STRABONE et PAVSANIA literis mandata exhibuimus §. 1. eaque Inſcriptionibus plurimis, in Statua Memnonis etiamnum legendis, quas RICHARDVS POCOCKIVS, vti potuit, diligenter et ſollicite deſcripſit, et in elegantiſſimo Opere publicauit, mirum

Ipſius rei veritas ex Strabone et Pauſania, omniumque optime, ex Inſcriptionibus in Statua Memnonis etiamnum legendis, cognoſci poteſt.

* Adferuntur haec verba a viro clariſſimo et eruditiſſimo, IO. PHIL. CASSELIO, in Diſſertat. de *Λίθοις κεκραξομένοις*, Part. I. p. 8. 9.

rum in modum confirmantur. Cum autem Opus hoc pretiosum, paucorum in his oris manibus teratur, operae pretium me facturum esse existimaui, si quasdam ex praecipuis hic transscripsero. Pleraeque difficulter legi potuerunt, eoque admodum deprauate editae sunt, ita vt vix vsum praestare posse videantur. Verum difficultas ista me non absterruit: operam potius dedi pro virili, vt quae prae aliis ad rem meam facere videbantur, qualitercunque restitutae et emendatae, cum lectore communicarentur. In ipsa Statuae Memnoniae basi, insculptum cernitur Epigramma ASCLEPIODOTI Poëtae, elegans sane lectuque dignum, quod etsi * alio huius Commentarii loco iam descriptum, hic tamen repetere opportunum duco. Rem eam, quam hic persequimur, versibus non iniucundis celebrat:

Ζώειν, εἰναλίη Θέτι, Μέμνονα χ' ἁδέα φωνεῖν
Μάνθαν', ἐπὶ Τροίης ἄλλοκ' ἀπολλύμενον,
Αἰγύπτῳ Λιβυκῇσιν ὑπ' ὀφρύσιν, ἃ ἀποτάμνει
Καλλίπυλον Θήβην Νεῖλος ἐλαυνόμενος
Τὸν δὲ μαχῆς ἀκόρητον Ἀχιλλέα μήτ' ἐπὶ Τρώων
Φθέγγεσθαι πεδίῳ μήτ' ἐνὶ Θεσσαλίῃ.

Viuere, marina Theti, Memnona et suauiter sonare,
Disce, ad Troiam quondam occisum:
Aegypti Libycis sub tumulis, vbi abscindit
Pulchras portas habentem Theben Nilus incitatus
Insatiabilem vero pugnae Achillem, neque in Troum
Loqui campo, neque in Thessalia.

Ex aliis vero Inscriptionibus, quas Statua Memnonia exhibet, aperte intelligitur, vocem illam mirabilem non quotidie fuisse auditam, vti veterum plerique aut clare affirmant. Qui audiendi Memnonis causa, aut summo mane, ad Statuam eius se contulerant, aut etiam in vicino agro pernoctauerant, saepe vnum alterumue diem expectando consumere, vel infectis rebus abire, alioque tempore redire tenebantur, donec tandem voti compotes fierent. In crure Statuae Memnoniae dextro Inscriptio haec legitur:

C. LE-

* Synt. I. cap. III. §. 4.

C. LELIA AFRICANI PRAEF.
VXOR AVDI. MEMNONEM
PRID. ... FEBR. HORA I. S.
ANNO I. IMP. DOMITIANI AVG.
CVM IAM TERTIO VENISSEM.

Inſcriptio haec Statuae inſculpta fuit anno Domitiani Imp. I. Teſtatur in ea C. *Lelia*, vxor *Africani*, ſe audiendi Memnonis ergo ſaepius acceſſiſſe, ac tandem, *cum iam tertio veniſſet, Pridie Kal. Febr.* (ſic enim lacuna ſuppleri poſſet, aut etiam alio modo) re ipſa *audiviſſe Memnonem.* Bis itaque fruſtra Memnoni dederat operam. Teſtatur porro Foemina illuſtris vocem Memnonis auditam ſibi eſſe *Hora* I—S. id eſt *hora prima ſemis.* Cum vero *hora prima* apud Aegyptios, reſpondeat noſtrae *horae ſextae* matutinae, idem eſt, ac ſi dixiſſet, *hora dimidia, poſt ſextam matutinam.* Alia Inſcriptio graeca, in eodem crure reperiunda, poſita anno VII. Hadriani; ſed mirifice corrupta, id tamen, ſi recte coniicio, ſatis ſignificat, *Praetorem* quendam, *proprio inſtinctu acceſſiſſe ad Statuam Memnonis, eamque vt audire poſſet vocem deſideratam, adoraſſe, Memnonem vero tum vocem emiſiſſe nullam; cum vero inſtinctu diuino rediiſſet in vrbem, ibique duos dies expectando inſumſiſſet, tandem ad Statuam reuerſum, vocem diuinam percepiſſe.* Et id ipſum ſane, Inſcriptiones illae plurimae, in cruribus Statuae Memnoniae inciſae, nec obſcure, innuunt. Complectuntur enim teſtimonia luculenta eorum, qui vere ſibi auditam fuiſſe vocem Memnonis, liquido aſſeuerare potuerunt, idque ſolenniter teſtari voluerunt. Eaque de cauſa, vt appareret omnibus, ipſos adhibita omni cura et ſollicitudine, in rei huius veritatem inquiſiuiſſe, annum quoque, Menſem, diem, ipſamque adeo horam, qua vocis ſonum perceperant, notandam et apponendam eſſe duxerunt. Quis hoc vnquam requiſiuiſſet, aut a quoquam expectaſſet, ſi vox Memnonia, omnibus pariter diebus, eademque hora, audiri ab vnoquoque potuiſſet, et audita re ipſa quoque fuiſſet. Ego, parum abeſt, vt mihi perſuadeam, cultores Chriſti, per totam Aegyptum, a temporibus ſeculi primi Aerae Chriſtianae, numero non exiguo diſperſos, cum Statuam Memnonis ludibrio haberent, vocemque eius, diuinam ſcilicet, quemadmodum in Inſcriptionibus ſaepe nuncupatur, magnopere deriderent, eo ipſo effeciſſe, vt ipſorum adverſarii, teſtimonia pro veritate miraculi Statuae Memnoniae, vndiquaque conquiſita, ipſi Statuae ſic infigerent, vt eorum memoria non

niſi cum ipſa Statua deleri poſſet. Inter omnes certe Inſcriptiones, quae in cruribus Statuae huius cernuntur, nullam reperire potui, quae aetatem Domitiani ſuperare videatur. Is vero, quod vulgo notum eſt, ſecundam aduerſus Chriſtianos perſecutionem grauiorem, in imperio Romano excitauit. Pleraeque autem Inſcriptiones aetatem Hadriani Imperatoris aperte loquuntur. Et ab hoc quidem tempore, Apologiae Chriſtianorum pro veritate et diuinitate religionis Chriſti, per orbem coeperunt multiplicari, ſicuti vicißim aduerſarii ipſorum, fidem eorum ſanctam, editis etiam libris, omni animi niſu oppugnare ſategerunt. In hac, quam nunc propoſui, ſententia, eo non parum confirmor, quod videam, neminem in exponendo hoc Statuae Memnoniae miraculo, tam prolixum eſſe, et ad argumentum hoc ornandum toties redire, atque PHILOSTRATVM, cuius eam ob rem teſtimonio ſaepiuscule vtendum nobis hic fuit. Neque vero eruditum quenquam latet, garrulum hunc Sophiſtam, *Apollonium* ſuum, cuius vitam ſe deſcribere iactat, *Chriſto* Domino noſtro, illius vero miracula, miraculis huius, eiusque Apoſtolorum, auſu non Stulto minus, quam impio opponere voluiſſe.

Adferuntur plures aliae Inſcriptiones, ex crure Statuae Memnoniae dextro.

§. 5. Sed redeundum eſt ad argumentum, a quo nonnihil eramus digreſſi. Diximus nempe, et ex Inſcriptionibus eorum, qui Statuam Memnonis viderunt, quique audiendae vocis illius ſupra modum ſe cupidos fuiſſe, ipſi teſtantur, ſatis probauimus, vocem illam non omnibus promiſcue diebus, ab adſtantibus, percipi auribus potuiſſe. Quando vero percipiebatur, ſummo mane, Sole oriente, hora prima, (vel, vt cum noſtris hominibus loquar, hora ſexta matutina) aut etiam hora ſecunda fieri id ſolebat. STRABONEM ſupra §. 1. intelleximus teſtantem, ſe *circiter horam primam* ſonitum audiuiſſe. Et idem iſtud Inſcriptiones plurimae, in cruribus Statuae Memnoniae viſendae, etiam profitentur. Aliquam deſcripſit F. L. NORDENIVS, in * *Delineatione ruderum quorundam antiquorum in Aegypto*, quam in Pocockianis non inueni. Sic autem edita eſt:

TETRONIVS PRAEF. . . .
HORAM CVM PRIMAM CVMQVE
HORAM SOLTS SECVNDAM

PRO-

* Edita eſt Londini 1741. et ex ea Excerpta dedit Auctor *des principaux Ecrits, qui ſe publient*, Mars 1742. Artic. IV. p. 367. &c.

PROLATO OCEANO LVMINAT
ALMA DIES

VOX AVDITA MIHI EST
BENE MEMNONIA.

Lineam primam ita credo ſcriptam fuiſſe

PETRONIVS PRAEF. AEG.

Petronius ille * quisquis fuit, nuncupatur *Praefectus Aegypti*, cuius dignitatis in hiſce Inſcriptionibus mentionem ſaepius fieri videmus. Et apud GRVTERVM in *Theſauro* P. CXIII. Inſcr. I. occurrit COR. POSTVMVS PRAEF. AEGYPTI. Sequitur deinde Diſtichon hoc:

Horam cum primam, cumque horam Solis ſecundam
Prolato Oceano luminat alma dies.

Teſtatur ergo *Petronius* hicce, ſe vocem Memnonis bis audiuiſſe, hora prima diei, et ſecunda. Teſtatur praeterea idem, *vocem Memnoniam ſibi bene auditam eſſe*. Quo non ita obſcure innuitur, vocem hanc *bene* et diſtincte, ab omnibus et ſemper haudquaquam audiri conſueuiſſe. Quid enim opus ceteroquin fuiſſet, iſtud ceu ſingulare quidpiam hic obſeruaſſe? In crure Statuae Memnoniae dextro, porro et iſta legitur Inſcriptio, quam appono, prouti eam primitus ſcriptam fuiſſe opinor:

** ANNO V. HADRIANI
IMP. T. HATER. . .
NEPOS PRAEF. AEG.
AVDIT MEMNONEM
XII. K. MART. HORA I—S.

* Non crediderim, intelligi hic *Petronium*, qui in Praefectura Aegypti, ſucceſſit Cornelio Gallo, bellumque cum Aethiopibus geſſit. Hiſtoria Romana multos nobis exhibet viros illuſtres, nomine *Petronii* conſpicuos. Plurimi etiam nomen hoc gerentes, occurrunt in Inſcriptionibus. Vide *Indicem Gruterianum*.

** Cum editione *Pocockiana*, conferenda hic eſt *Nordeniana*. Ex vtraque, Inſcriptionem hanc, emendate, vt ſpero, tranſcribere licuit.

Inſcriptionem hanc poni curauit *Titus Haterius Nepos.* Eſt autem *Haterii* nomen neque Faſtis Conſularibus, neque Inſcriptionibus Romanis inauditum. In noſtra Inſcriptione ſignificatur, *Titum Haterium Nepotem, Aegypti Praefectum, Anno* V. *Hadriani Imp.* XII. *Kal. Mart. audiuiſſe Memnonem, hora I—S.* id eſt, vti aliae Inſcriptiones habent, *hora prima ſemis:* quaſi dicas, hora dimidia poſt primam. In Schedis Nordenianis, et hanc inuenio Inſcriptionem, ſic, vt auguror, legendam:

CLAVDIVS MAXIMVS
LEG. XXII. AVDIVI MEMNONEM
HORA I. SEMIS. C. AEMILIVS
HORA PRIMA SEMIS AVDI
VI VOCEM MEMNONIS.

Inſcriptionem hancce Coloſſo incidi curarunt duo, qui ſimul ad audiendum Memnonem profecti erant, eiusdemque vocem coniunctim audiuerant, *Claudius Maximus*, et *C. Aemilius.* Quod ad priorem attinet, nomen *Claudii Maximi*, in hiſtoria Seculi II. inclytum fuit. Militauerat primum in Legione XXII. quod in noſtra Inſcriptione memoratur, forte Centurio, aut Tribunus, vel Praefectus Legionis, ſiue Cohortis. Erat autem Legio XXII. * ab Auguſto Caeſare in Aegypto collocata. Poſtea Claudius Maximus ad Proconſulatum Africae euectus eſt, quod ex APVLEII Apologia, coram eo recitata, ſatis intelligitur. Alius vtique eſt *Claudius Maximus*, ** quem inter Magiſtros habuit, audiuitque M. Aurelius Antonimus Philoſophus. In Pocockianis Inſcriptionibus vero, quae in crure dextro leguntur, et iſta habetur, ſic, vti cenſeo, legenda.

V. NONAS MARTIAS
FELIX AVGG LIBERTVS
ET PROCVARTOR VSIACVS
HORA PRIMA SEMIS
MEMNONEM
AVDIVIT.

In

* *Notitia Dignitatum Imperii* fol. 24. a. Edit. Lugdun. 1608.

** CAPITOLINVS in *M. Aurelio Antonino Philoſopho*, cap. 3. vbi conſulendae eruditorum notae, et PAGIVS in *Critica Annal. Baron.* ad ann. 144. num. I.

In eodem crure dextro legitur etiam ſequens Inſcriptio:

* C. MANIVS HANIOCHVS
DOMO CORINTHIVS ..... ITEM
.... AVDIVI MEMNONEM ANTE SECV. HORAM
XIII. ..... TITIANO COS. EODEM DIE
HORA PRIMA EIVSDEM DIEI.

Inſcriptionem hanc poni iuſſit *Manius*, *Haniochus*, id eſt *Agitator*. Gloſſae veteres. *Agitator*, ἡνίοχος. Inſcriptio apud GRVTERVM P. LXXVI. num. 4. *C. Appuleio, Diocli, Agitatori primo Fact. ruſſatae.* Poſita autem eſt Conſule *Titiano*, id eſt, Anno Aerae Chriſtianae 245. Teſtatur vero *Manius*, ſe illo, quem dixi, anno, et die, cuius notam tempus nobis inuidit, audiuiſſe Memnonem ante horam ſecundam. Addiderat alius, verum cuius nomen tempus edax rerum obliterauit, ſe die eodem audiuiſſe Memnonis vocem. Ex quo colligere datur, vocem Memnonis, vbi nempe Sacerdotibus viſum ſic erat, nonnunquam die eodem plus ſemel auditam fuiſſe. Extat ibidem alia Inſcriptio in hunc ſenſum:

. . . . . .
PRAEF. AEG
AVDIT
MEMNONEM
XIII. K. APRILIS
VERO III. ET AMBIBVLO COSS.
HORA. I.

Inſcriptio haec confecta eſt, nomine cuiusdam Praefecti Aegypti, cuius nomen legi non potuit, Vero III. et Ambibulo Coſſ. Etiam vltimi huius Conſulis *Ambibuli* nomen miſerrime depranatum eſt. Deſignatur ergo annus Hadriani Imperatoris X. aerae Chriſtianae, 126. Poſt alias quasdam et haec ſequitur Inſcriptio, quae ita reſtitui poſſe mihi videtur.

L. IVNIVS CALVINVS
. . . . . MONTIS BERINI
AVDIVI MEMNONEM CVM ....
MINICIA . . . . . .
KAL. IVNIIS HORA II. ANNO . . .

Cui

* *Pocockianam* Editionem correxi ex Schedis. NORDENII.

Cui iungo et hanc

SEX. LICINIVS PVDENS
XI. K. IANVARIAS ANNO . . . . D. N.
DOMITIANI CAESARIS AVGVSTI
GERMANICI. AVDIVI MEMNONEM.

Annus imperii *Domitiani*, D. N. id eſt *Domini noſtri*, quem titulum Imperatorem hunc omnium primum affectaſſe, ſatis notum eſt: Annus, inquam, Domitiani, quo inſculpta fuit haec Inſcriptio, excidit. Alias rem eandem ſignificantes, Studio praetermitto. Sed temperare mihi non poſſum, quin prioribus, hanc quoque graecam ſubiungam, ex eodem crure dextro Statuae Memnoniae decerptam.

ΗΛΙΟΔΩΡΟC ΖΗΝΩ
ΝΟC ΚΑΙCΑΡΕΙΑΣ ΠΑ
ΝΙΑΔΟC ΗΚΟΥCΑ Δ. ΚΑΙ
ΕΜΝΗΣΘΗΝ ΖΗΝΩΝΟC
ΚΑΙ ΑΙΑΝΟΥ ΑΔΕΛΦΩΝ.

id eſt

Helidorus Zenonis filius
Ex Caeſarea Paneade
Audiui quater, et
Recordatus ſum Zenonis
Et Aeliani Fratrum.

Inſcriptionem hanc talem dedi, qualem conſtitutam inueni, in IACOBI PHIL. DORVILLII τῶ μακαρίτᾳ Animaduerſionibus ad Charitonem Aphrodiſienſem p. 532. vbi et hanc viri doctiſſimi obſeruationem legas. LEICHIVS *quoque tetigit hanc Inſcriptionem, legitque linea vltima* Αἰλιανῶ. *Forte non male* Κ' Αἰλιανῶ. *Sunt exempla, vbi* καὶ *etiam in proſa ita mutilatum ſit. Poſſis etiam* Γαιανῶ. *In Inſcriptionibus notum nomen. Verum illud* Ἐμνήσθην *animaduerti velim. Solebant peregrinantes, pietatis et memoriae cauſa, abſentium et relictorum amicorum et cognatorum, in his locis, vbi ſuam relinquere volebant memoriam, etiam eorum nomine ſcripto, ſe teſtari non immemores fuiſſe.* —— *Bene in hac Pocockiana Inſcriptione,* Ἐμνήσθην LEICHIVS *vertit:* Recordatus ſum. *Meminit nempe Heliodorus fratrum ſuorum,*

qui

qui ſi non aliud, ſaltem aeternitatem nominis ſui, cuius auidi erant veteres fuerunt conſecuti.

§. 6. Deſcribamus etiam nonnulla, quae in crure Memnonis ſiniſtro inſculpta cernuntur. Ex latinis Inſcriptionibus ſequens occurrebat mirifice inquinata; ſed quam ſic recte ſatis legi poſſe exiſtimem *Aliae Inſcriptiones, ex crure ſiniſtro Memnonis, latinae.*

S. MITHRIDATICVS TRIBVNVS
LEG. XXII. DEIOT. XIII. K. IVL.
MEMNONEM AVDIVI H I.

Auctor Inſcriptionis huius fuit *Mithridaticus*, *Tribunus Leg.* XXII, quam Legionem in Aegypto ab Auguſto collocatam fuiſſe, §. 5. monuimus. Quod ibi iam ſequitur, DEIOT. pertinet ad eandem Legionem, quippe cui aliquando *Deiotarianae* cognomen inditum fuerit. *Legionis* XXII. *Deiotarianae* mentionem habes apud GRVTERVM in Theſauro Pag. CCCLXXIII. num. 4. Teſtatur autem Tribunus hicce, ſibi vocis Memnoniae audiendae copiam factam fuiſſe D. XIII. *Kal. Iul.* qui forte fuit dies Solſtitialis, qui in Statua hac obſeruari poterat, *hora prima.* Anni vero nota excidit. Eſt in eodem crure Inſcriptio alia latina, docens vocem Memnoniam auditam nonnunquam fuiſſe ante horam primam. Eam ita lego:

PETRONIVS S. BALBVS
PRAEF PR. LEG. AVDIVI MEMNON.
VI. IDVS MARTIAS
SERVIANO III. ET VARO COSS.
HORA DIEI ANTE PRIMAM.

In linea ſecunda aliter vix legere potui, quam *Praefectus Primae Legionis.* Quandoquidem vero Legio prima in Aegypto collocata non erat, praeſtaret forte legere PRAEF. AEG. vt intelligatur *Praefectus Aegypti.* Fuit autem Inſcriptio iſta Statuae inciſa Anno Chriſti 134. imperante Hadriano, Seruiano III. et Varo Coſſ. Ita enim haud dubie nomina illa legenda ſunt. Denique et hancce Inſcriptionem latinam ſubiicere operae pretium duxi.

. . . . . .
PROCOS. ITERVM HORA
DIEI SECVNDA . . . . EGI GRATIAS.

Proconſulis, cuius haec eſt Inſcriptio, nomen tempus deleuit. Significat autem ſe Memnonis vocem *iterum* audiuiſſe, quemadmodum de Caecilia quadam, legimus in alia Inſcriptione. Δεύτερον ἀκούσασα Μέμνονος, *Cum iterum audiuiſſet Memnonem.* Illud vero, quod in fine huius Inſcriptionis legitur, EGI GRATIAS, obſeruationem vtique meretur. Hinc enim merito colligere licet, pietatis et religionis ergo adiiſſe Memnonem, qui vocem eius audire diſcupiebant, eaque audita, ſiue Memnoni ipſi, quod probabilitate non caret, ſiue Diis aliis egiſſe gratias.

Inſcriptiones quaedam, ex eodem crure, graecae.

§. 7. Sunt et in crure eodem Inſcriptiones nonnullae graecae, ex quibus eas adferemus, quae id prae ceteris mereri videntur, et quas, tametſi ſupra modum, temporis inclementia inquinatas, aliqua tamen ratione legere et intelligere potuimus. Inter eas quas dixi, occurrit haec, quam ita legi poſſe exiſtimamus:

ΓΑΙΟC ΙΟΥΛΙΟC ΔΙΟΝΥCΙΟC
ΑΡΧΙΔΙΚΑCΤΗC ΘΕΩΝΟC
ΑΡΧΙΔΙΚΑCΤΟΥ ΥΙΟC ΚΑΙ
ΠΑΤΗΡ. ΗΚΟΥCΑ ΜΕΜΝΟ
ΝΟC ΩΡΑC ΠΡΩΤΗC.

id eſt:

Caius Iulius Dionyſius,
Primarius Iudex, Theonis
Iudicis primarii et filius, et
Pater. Audiui Memnonem
hora prima.

Sequitur ibidem alia Inſcriptio, mendis etiam magis vitiata; ſed quae ſic vtcunque conſtitui poteſt.

ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟC ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΙΚΟC
. . . . . .
. . . ΗΚΟΥCΑ ΜΕΜΝΟΝΟC ΤΟΥ ΟCΙΟΤΑΤΟΥ
ΜΕΤΑ ΤΗC CΥΜΒΙΟΥ ΑΡCΙΝΟΗC ΚΑΙ
ΤΩΝ ΤΕΚΝΩΝ ΑΙΛΟΥΡΙΩΝΟC ΤΟΥ ΚΑΙ ΚΟ
ΔΡΑΤΟΥ ΚΑΙ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΕΤΕΙ ΙΕ ΑΔΡΙΑΝΟΥ
ΚΑΙCΑΡΟC ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ . . . . ΧΟΙΑΚ.

id

id eſt:

Artemidorus, Ptolemaei filius, Caeſaris Procurator

. . . . . .

. . . Audiui Memnonem ſanctiſſimum
Vna cum coniuge Arſinoë, et
Filiis, Aelurione, qui et Quadratus nominatur,
Et Ptolemaeo, anno XV. Hadriani
Caeſaris Domini, Die . . . . Menſis Choeac.

Inſcriptio haec videtur profecta eſſe ab Aegyptio indigena, quod nomina propia quae hic occurrunt, ſatis teſtantur. Inſculpta autem fuit anno Hadriani XV, Chriſti Domini CXXXI. menſe *Choeac*, qui *Novembri* fere reſpondet. Verum notam diei, tempus exedit. In alia Inſcriptione graeca iſta tantum legere ac intelligere potui verba: ΛΟΥΚΑC ΩΡΑC Γ. ΗΚΟΥCΑ. Quibus ſignificat *Lucas* quidam, ſe vocem Memnonis *audiuiſſe hora tertia.* In ſequenti illud obſeruari meretur, quod neſcio quis, *Marcus* nomine, teſtatur: ΕΚΑΤΟΝ ΜΕΓΑ ΦΩΝΗCΑΝΤΟC ΜΟΙ. *Audiui* Memnonem, *qui mihi magnum quid*, et valde Sonorum, *inſonuit.* Nam plerumque ſonus ille tenuis erat atque obſcurus. Verum videtur vox illius Coloſſi nonnunquam ſonuiſſe fortius quid, et ſuauius, ac forte diutius etiam perſeueraſſe. Colligi id poſſe videtur etiam ex ſequenti Epigrammate, quod ibidem extat, quodque hunc in modum conſtituendum eſſe arbitratur mecum, vir longe doctiſſimus, rerumque harum peritiſſimus, quocum et Epigramma, et meas ad illud cogitationes communicaui; ſed qui nomen ſuum me tacere voluit:

ΑΥΔΗC ΤΟ ΠΡΟCΘΕΝ ΜΟΥΝΟΝ ΕΙCΑΚΟΥCΑΝΤΑC
ΝΥΝ ΩC CΥΝΗΘΕΙC ΚΑΙ ΦΙΛΟΥC ΗCΠΑCΑΤΟ
ΜΕΜΝΩΝ Ο ΠΑΙC ΗΟΥC ΤΕ ΚΑΙ ΤΕΙΘΩΝΟΙΟ.
ΑΙCΙΟΝ. ΙΝΑ ΚΑΤΑΝΟΩ ΚΑΙ ΦΘΕΓΜΑΤΑ.
Η ΦΥCΙC ΕΔΩΚΕ ΔΗΜΙΟΥΡΓΟC ΤΩΝ ΟΛΩΝ.

Qui quondam ſolum audiueramus vocis ſonum
Eos nunc vt familiariter ſuos et amicos ſalutauit
Memnon Aurorae et Tithoni Filius,
Omine auſpicato, vt nempe ego et ſenſum perciperem harum vocum.
Ipſa natura eas promit, opifex totius vniuerſi.

Apparet auctorem horum Iamborum, quisquis est, enthusiasmo quopiam correptum, credidisse, vocem Memnoniam rudem et informem, sibi aliquando clarius et distincte magis auditam fuisse, eo fine, vt mysteria ipsius naturae, vocem hanc proferentis, studiose inuestigaret. Vero etiam dissimile non est, fraudem Sacerdotum, hac forte occasione, sicuti et in aliis, insigniter enituisse. Versum tertium, ita vt edidimus, legendum esse, docuit ipse POCOCKIVS. Reliqua meis coniecturis, et amici dignissimi industriae debentur. Coronidem iis quae hactenus attuli, imponat Epigramma graecum, in crure Memnonis eodem incisum, lectuque hic non indignum, sicut illud restituit elegantium Musarum * dilectus alumnus:

Ἔκλυον ἀυδήσαντος ἐγὼ Πόβλιος Βαλβῖνος.
Φωνὰς τὰς θείας Μέμνονος ἢ Φαμενώφ.
Ἦλθον ὁμᾶ δ' ἐρατᾷ βασιληΐδι τῇδε Σαβίνᾳ
Ὥρας δὲ πρώτας ἅλιος ἔχε δρόμον.
Κοιράνῳ Ἀδριανῷ πέμπτῳ δεκάτῳ ἐνιαυτῷ.
Ἄματα δ' ἔχεν Ἄθυρ εἴκοσι καὶ πίσυρα
Εἰκόσῳ πέμτῳ ἄματι μηνὸς Νοέμβριος

id est:

Ego Publius Balbinus, audiui diuinas voces
Loquentis Memnonis vel Phamenophis.
Veni vero huc vna cum amabili regina Sabina;
Primae horae Sol habebat cursum.
Imperatoris Hadriani quinto et decimo anno.
Dies autem habebat Athyr mensis *viginti et quatuor.*
Vigesimo quinto die Mensis Nouembris.

Adderem hic libenter obseruationes celeberrimi D'ORVILLII, nisi id prolixum nimis esset. Eas itaque loco, quem in notis indicaui, a lectore harum rerum cupido euolui malim. Illud tantum obseruabo, auctorem huius Epigrammatis mentionem facere Sabinae, vxoris Hadriani Imperatoris, qua comite et praesente, vocem Memnoniam audiuerit. In aliis Inscriptionibus mentio etiam fit Hadriani ipsius, et

* IAC. PHILIPPVS D'ORVILLIVS Animaduersion. in Charitonem Aphrodis. p. 531.

et cum primis in hac, quam ex Statuae Memnoniae crure etiam ſiniſtro, hic adſcribo, ſicut in Pocockianis legitur:

ΙΟΥΛΙΑC ΒΑΛΛΙΛΛΗC
ΟΤΕ ΗΚΟΥCΕ ΙΟΥΛΙΕΩΝΟC
Ο CΕΒΑCΤΟC ΑΔΡΙΑΝΟC

Quae ſic videntur eſſe refingenda

ΙΟΥΛΙΑC ΚΑΜΙΛΛΗC
ΟΤΕ ΗΚΟΥCΕ ΤΟΥ ΜΕΜΝΩΝΟC
Ο CΕΒΑCΤΟC ΑΔΡΙΑΝΟC.

id eſt:

Iulia Camilla hoc poni iuſſit
Quo tempore Memnonem audiuit
Adrianus Auguſtus.

Ex iis quae hactenus in medium attulimus, licet iam colligere, Coloſſum ſaxeum Memnonis, certis quibusdam temporibus, vocem emiſiſſe, aut ſonum, quem adſtantes miraculi inſtar exceperunt, vnde factum eſt, vt ad eum audiendum, ex omnibus terrae regionibus confluerent homines, viri etiam ſummis dignitatibus conſpicui, et ipſi adeo Imperatores cum ſuis vxoribus, ſpectaculi huius teſtes eſſe non dedignarentur. Nam Hadrianum Imperatorem, non minus, quam vxorem eius Sabinam, audiuiſſe vocem Memnonis Thebaei, Inſcriptiones quarum toties mentionem feci, luculenter euincunt. Docent eaedem Inſcriptiones, vocem illam celebratam Memnoniam, non auditam fuiſſe quotidie, quod veteres quidam, eosque inter STABO quoque et PAVSANIAS, perperam aſſeruerunt; ſed iis tantum diebus, quos eligebant Sacerdotes. Audiebatur autem illa vox nonnunquam ante horam diei primam, plerumque hora prima; ſed et aliquanto ſerius, quin et hora ſecunda, aut etiam tertia. Vti vero Memnon haudquaquam cunctis diebus reſonabat, ita viciſſim diebus nonnullis, ſonum vocis tam deſideratum, poſt aliquod, forte vnius horae interuallum, repetebat, vt proinde vox eius eodem die bis, et forte etiam ter audiri potuerit. Quibus autem ea contingebat felicitas, vt vocis Memnoniae fierent participes, maiorem in modum ſibi gratulabantur, Diisque grates perſoluebant, praeſertim ſi vox audita, ſolito paulo eſſet diſtinctior et ſonora magis. Quomodo vero res haec, ante

Ptolemaeorum, aut etiam Cambyſis tempora, florentibus etiamnum rebus piſcorum Aegyptiorum, ſe habuerit, penitus ignoramus, niſi quod nonnullos tradidiſſe videamus, (§. 8.) ante calamitatem Statuae huic a Cambyſe inflictam, vocem eius fuiſſe pleniorem, diſtinctam magis meliusque percipi potuiſſe.

Luciani locus de voce Memnonis expenditur.

§. 8. Argumentum, in quo ornando nunc verſatus ſum, prius in vniuerſum dimittere haud poſſum, quam locum tetigerim LVCIANI, qui aliquid continet, nobisque offert prorſus ſingulare. Nam in *Philopſeude*, introducit *Eucratem* narrantem, * *ſe in Aegypto Memnonem audiuiſſe, non vulgari illo modo, quo et alii audiunt ſonum quendam informem; ſed oraculum ab eo ore aperto, ſeptem verſibus* (ἐν ἔπεσιν ἑπτὰ,) *editum.* Ego non dubito, nec dubitabit quisquam alius, nil hoc eſſe, niſi merum auctoris faceti figmentum. At ſicuti in figmento hoc ſupponitur, Memnonem Thebaeum loqui, vel edere vocem, quod vtique verum erat, ita etiam id, quod ſequitur, Memnonem locutum eſſe ἐν ἔπεσιν ἑπτὰ, *ſeptem vocibus*, aliquid ex vero trahere, ſuſpicor. Scimus, *numerum ſeptenarium* ** apud Aegyptios in magna olim veneratione, ſanctumque habitum, fuiſſe. Attentione vero inprimis dignum hic cenſeo, quod auctor libri vere elegantis περὶ ἑρμηνείας, qui nomen DEMETRII PHALEREI gerit, §. LXXI. ſcriptum reliquit: Ἐν Αἰγύπτῳ δὲ καὶ τῆς θεὰς ὑμνῶσι διὰ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων οἱ ἱερεῖς, ἐφεξῆς ἠχοῦντες ἀπτά. Καὶ ἀντὶ αὐλοῦ καὶ κιθάρας τῶν γραμμάτων τούτων ὁ ἦχος ἀκούεται ὑπ' εὐφωνίας. *In Aegypto vero, Sacerdotes etiam per* VII. *vocales, quaſi hymnis Deos celebrant, dum eos ordine continuo ſonant, et apud ipſos loco tibiae et cytharae, literarum harum ſonus auditur ob ſuauitatem vocis.* Obſeruari hic velim, id quod auctor eximius affirmat, non de omnibus in Aegypto Sacerdotibus, Sacerdotumque collegiis, verum eſſe; ſed de quibusdam tantum. In Sacris Iſidis et Oſiridis, citharam tibiamque, aut tubam, adhibitam fuiſſe, eruditos non fugit, et ſi res poſtularet, facile probari poſſet. Sed in quibusdam Aegypti vrbibus, Sacra a Sacerdotibus inſtituta, vſum tibiae et inſtrumentorum Muſicorum, non admittebant. Sigillatim veteres id, de Abydenorum, in Thebaide, Sacerdotibus memoriae mandarunt. Certe credebantur illi, *** *ſonum tubae*

* In Operibus T. II. p. 496. Edit. Salmur.

** Poſſunt hic videri *Prolegomena* noſtra ad *Pantheon.* §. XXV.

*** AELIANVS *de Animal.* Lib. X. c. 28.

tubae detestari, tanquam similem rugitui asini. Illic * *Osiris colebatur* quidem; sed *in eius Templo non licebat nec cantori, nec tibicini, nec citharoedo, sacrificium auspicari, quemadmodum mos est aliis Diis.* Hic igitur locum habuisse videtur, vt Sacerdotes, reiecto alio quocunque concentu Musico, Sacra auspicarentur, septem vocales sonando, et cantum hunc religiosum saepius repetendo. Notum vero est eruditis, ** Abydi Memnonis fuisse ostendique consueuisse regiam, quam Graeci *Memnonium* appellant, vnde suspicari subit, etiam hic Amenophin specie aliqua cultus religiosi honoratum fuisse. An non probabile videbitur lectori cordato, cantum VII. vocalium, ad Memnonem quoque relatum, et in eius honorem adhibitum fuisse? Graecis vsus VII. vocalium diu ignotus mansit. Illi vocalibus V. quos et ab ipsis acceperunt Itali, contenti, *** sero valde vsum vocalium H, et Ω, receperunt, idque, vt credo, ex Aegyptiorum Lingua. Non abs ratione auguror, Sacerdotes Thebaeos, discrimen VII. vocalium excogitasse, forte ad imitationem VII. Planetarum coelestium, † quibus etiam eas sic volebant esse consecratas, vt vnaquaeque illarum signum esset et character, alicuius ex totidem Planetis. Videntur illi inuento huic suo maximum statuisse pretium, in illiusque perpetuam memoriam instituisse, vt Sacra in Thebaide, Thebis praecipue et Abydi, cantu VII. vocalium personarent. Et quandoquidem Colossus Thebaeus, solerti Sacerdotum artificio, ita constructus erat, vt vocem quouis ferme die, toties certe, quoties id e re sua putabant Sacerdotes, emitteret, vero dissimile profecto non est, Sacerdotes eosdem Colossum suum eum in modum disposuisse, vt vox illius inuenti sui memoriam celebraret, aut vt VII. vocales ordine resonaret. Disquirere operae pretium est, num non forte hoc ipsum, quod dixi, lateat sub antiqua quadam Aegyptiorum traditione, cuius ex ANTICLIDE, mentionem

* STRABO Lib. XVII. p. 560.

** Vide supra Synt. II. cap. II. §. 4.

*** Vide SCALIGERI Animaduersiones in Eusebii Chronicon, fol. 110. 111. &c. SALMASIVM ad Inscriptionem Herodis Attici, p. 42. 43. &c. Edit. Crenii. BENTLEIVM de Epistolis Phalar. p. 241. 242. et IOHAN. BVHERII Praesidis quondam in Senatu Diuionensi, Dissertationem, *de priscis Graecorum et Latinorum literis*, quae ad calcem *Palaeographiae Montfauconii* edita, et deinde inter Viri illius illustris Dissertationes Herodoteas auctior prodiit, num. X.

† Videri possunt *Prolegomena* nostra, vbi supra.

tionem PLINIVS iniicit. Lib. VII. c. 56. Fert autem illa, *in Aegypto quendam nomine Menona, XV. annis ante Phoroneum, antiquissimum Graeciae regem, literas inuenisse.* Addit PLINIVS ibidem, ANTICLIDEM *id Monumentis approbare conatum esse.* De literis in vniuersum, earumque inuentione id verum esse non posse, eruditi sciunt, quos non latet, * Aegyptios vnanimiter omnes, ab antiquo, inuentionem literarum, suo *Thoth*, vel *Mercurio*, vnice in acceptis retulisse, idque PLINIVS ipse, loco adducto, obseruare non neglexit. Quod igitur idem de Menone refert, non videtur, nisi de literis quibusdam intelligi tantum posse. Quia nempe, vti suspicor, vetus fama ferebat, Memnonis Statuam vocales VII. quotidie resonuisse, id quibusdam occasionem praebere potuit, vt sibi persuaderent, eum literas has vocales inuenisse, in primis, cum Aegyptii Statuam illam communiter *vocalem* solerent appellare, quod infra cap. V. videbimus. Id vero neminem turbare aut morari debet, quod PLINIVS inuentorem literarum *Menonem* vocitet. Nam eodem modo, nomen *Memnonis*, etiam apud alios Scriptores, librariorum culpa, scriptum deprehendimus. In memoriam hic redit Oraculum aliquod Apollinis, quod ex PORPHYRIO seruauit EVSEBIVS, in *Praepar. Euangelica*, Lib. V. c. XIV.

Κλητίζειν Ἑρμῆν, ἠδ' ἠέλιον κατὰ ταῦτα
Ἡμέρῃ ἠελίῳ· μήνην δ' ὅτε τῆς δε παρείη
Ἡμέρη, ἠδὲ Κρόνον· ἠδ' ἐξείης ἀΦροδίτην
Κλήσεσιν ἀΦθέγκτοις, ἃς εὗρεν μάγων
ὁχ' ἄριστος.
Τῆς ἑπταΦθόγγῳ βασιλεὺς ὃν πάντες ἴσασιν.
Καὶ, Ὀσάνην λέγεις, εἰπόντων, ἐπήγαγεν
Καὶ σΦόδρα καὶ καθ' ἕκαστον ἀεὶ θεὸν
ἑπτακιΦώνην.

Quae in versione VERGERII ita latine sonant:

Mercurium ac Solem simul appellare memento
Luce sacra Soli: tum Lunam, vbi venerit eius
Nota dies, Saturnum exin, natamque Dione,
Vocibus

* Potest hic videri *Pantheon* nostrum Lib. V. c. 5. §. 6.

Vocibus arcanis, quas maximus ille Magorum,
Septiſonae Dominus reperit, notiſſimus idem
Omnibus.

Hic vero cum ab iis, qui praeſentes intererant, ſucclamatum eſſet, Oſthanem intelligis, *Apollo continuo ſubiecit:*

Magna quemque Deum et ſeptena voce vocabis.

Oraculum hoc Apollini tributum, quod mihi tantam vetuſtatem prae ſe ferre non videtur, atque SCALIGERO, SELDENO, aliisque eruditorum Principibus, qui ex eo antiquitatem denominationis ſeptem dierum hebdomadis, a totidem Planetis, demonſtrare ſategerunt, Oraculum hoc, inquam, viros doctiſſimos magnopere torſit, neque hactenus Deus aliquis ex machina apparuit, qui nodum illum plene et perfecte ſolueret. Multa equidem praeclare de hoc loco obſeruauit * SELDENVS; ſed ſuperſunt quae etiamnum vberiorem diſcuſſionem merentur. In Oraculo illo, non reſpici puto ad res Babyloniorum, quod volebat ** SCALIGER; verum Aegyptiorum. Quod autem EVSEBIVS EX PORPHYRIO addit, quosdam audito Oraculo Apollinis, ſucclamaſſe, per *βασιλέα ἑπταφθόγγῳ, regem ſeptiſonae* deſignari *Oſthanem*, ex eo ortum videtur traxiſſe, quod a Scriptoribus quibusdam recentioribus; ſed falſo, perhibitum deprehendamus, *** Oſthanem Perſarum Magum, Sacris Templisque in Aegypto praefuiſſe. Veroſimilius longe per *Magum praeſtantiſſimum*, eundemque *regem Septiſonae* intelligi poterit *Necepſos* Aegyptius, † *Aegypti iuſtiſſimus Imperator, et optimus quoque Aſtronomus.*

†† *Quique Magos docuit myſteria vana Necepſos.*

Video peringenioſum MARSHAMVM id etiam obſeruaſſe quidem: nam ††† *Necepſos*, inquit, *rex Aegypti, Oſthanis Magorumque praeceptor, merito dici poteſt*, Magorum praeſtantiſſimus, *cum de regno Oſthanis omnino non conſtet;* at impenſe miror, eum ſibi tamen illic perſua-

* *De Iure Naturae et Gentium* &c. Lib. III. c. 19.
** *Prolegom. in Libros de emendatione Temp.* fol. XLVI. et XLVII.
*** Videri poſſunt *Prolegomena* noſtra in *Pantheon* §. LXII.
† IVLIVS FIRMICVS Matheſ. Lib. IV. c. 16.
†† AVSONIVS Epiſt. XIX.
††† In *Canone Chronico*, ad Sec. XVI. p. 476. fin.

perſuaſiſſe, ac aliis perſuadere voluiſſe, in oraculo neque hunc neque illum intelligi. Ἑπταφθόγγον, vult eſſe VII. *orbium coeleſtium harmoniam*, βατιλέα vero τῆς ἑπταφθόγγε, *regem Apollinem*, vtpote qui harmoniae orbium coeleſtium praeeſſe crederetur. Nam etſi inficias minime eam, Apollinem ex Theologorum Graecorum ſententia, tali ſenſu dici poſſe, et perquam commode, βατιλέα τῆς ἑπταφθόγγε, *regem Septiſonae*, id tamen in Oraculo noſtro locum non habet, quicquid MARSHAMVS hic; ſed profecto incaſſum, diſputet. Ait nempe Oraculi auctor, quisquis eſt, *regem* illum *Septiſonae*, quem deſignare voluit, eſſe *Magorum praeſtantiſſimum*, qui docuerit VII. Planetas, propriis diebus, precibus arcanis myſticis inuocare, quod vtique Necepſo, at minime Apollini conuenit. Itaque adſtantes ſubinnui coniiciebant *Oſthanem*; ego vero *Necepſo*. Me quidem iudice, *Septiſona*, eſt regio, quae vocales ſeptem continuo reſonat, intelligiturque in Oraculo *Aegyptus*, ac illa ſpeciatim regionis huius pars, in qua vſus VII. vocalium inuentus erat, et quotidie ſolenniter recolebatur, Thebais videlicet, aut forte ager Thebaeus. Illius regem, et totius forte Aegypti, credo fuiſſe Necepſon. Illud vero eruditis expendendum relinquo, an non per θεὸν ἑπτακιφώνην, *Deum ſepties vocalem*, Memnon Thebaeus intelligi poſſit, ex cuius quippe ore divino, VII. vocales, quibus magna naturae myſteria ſubinnui credebantur, quotidie audirentur. Satis certe veroſimiliter, * vir doctiſſimus arbitratur, per Θεὸν ἑπτακιφώνην deſignari *Solem*, neque diffiteri poſſum, rationes quibus ad illud euincendum vſus eſt, pondus habere apud me non leue. Secundum quosdam vero Sacrorum in Aegypto interpretes, Memnon habebatur Εἰκὼν βατιλέως Ἡλίε, *imago expreſſa Dei Solis*, quod inprimis Epigramma iamiam adferendum liquido teſtatur. Inficias quidem haud eo, nunc non extare quenquam, praeter LVCIANVM, qui vocis ſeptemplicis a Memnone editae, mentionem aliquam iniecerit; at memoria tenendum eſt, aliam fuiſſe rationem vocis Memnoniae, antequam Statua illa mutilaretur, atque ex iis, quae poſt aetatem Cambyſae in illa obſeruantur, aeſtimandum minime eſſe ſtatum eius primaeuum. Extat in crure ſiniſtro Statuae Memnoniae, Epigramma graecum, miſerrime corruptum, cuius initium ſupra dedi, cap. III. §. 2. quo non obſcure ſignificatur, mutilationem Statuae ſubfecu-

* SELDENVS vbi ſupra p. 422. Edit. Lipſ. Adde MARSHAMVM loc. citat.

secutam esse vocis illius in deterius mutationem et corruptionem. Epigramma hunc fere in modum restitui posse videtur :

A. ΕΘΡΑΥΣΕ ΚΑΜΒΥΣΗΣ ΜΕ ΤΟΝΔΕ ΤΟΝ ΛΙΘΟΝ
ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΗΛΙΟΥ ΕΙΚΟΝΑ ΕΚΜΕΜΑΓΜΕΝΟΝ.
ΦΩΝΗ ΔΗ ΗΔΥΜΟΣ ΗΝ ΠΑΛΑΙ ΜΟΙ ΜΕΜΝΟΝΟΣ.
ΤΑ ΠΑΘΗ ΔΕ ΟΣΣΑ ΗΝ ΑΦΕΙΛΕ ΚΑΜΒΥΣΗΣ
B. ΔΥΣΦΟΡΑ ΓΕ. ΝΥΝΙ ΣΟΙ ΑΣΑΦΗ ΤΑ ΦΘΕΓΜΑΤΑ.
ΟΛΟΦΥΡΟΜΑΙ ΤΗΣ ΠΡΟΣΘΕ ΔΕΙΛΟΤΑΤΕ ΤΥΧΗΣ.

A. *Vulnerauit me Cambyses hunece lapidem*
In effigiem regis Solis conformatum.
Vox mihi suauis quondam erat Memnonis.
At voces laetitiae aut tristitiae affectum distincte testantes abstulit Cambyses.

B. *Sane intoleranda narras. Vox tua nunc obscura sonat et non intelligenda,*
Deploro eam, quae olim te, miserrime, afflixit calamitatem.

Est dialogus inter Memnonem, eiusque spectatorem. Quid versu quarto sibi velint τὰ πάθη, nemo melius explicuerit CALLISTRATO, cuius de saxea Memnonis effigie, haec sunt verba in *Statuis* p. 877. Edit. Morelli Parisiens. εἶχεν ὧν ἐγκεκραμένα καὶ τὰ λυποῦντα· καὶ πάλιν ἡδονῆς αἴσθησις αὐτὸν καταλάμβανεν, ὑπ' ἀμφοτέρων τῶν παθῶν πλησσόμενον. Quae sic vertit MORELLVS. *Memnon ea quae tristitiam adferrent, admixta habebat: rursusque ipsum voluptatis sensus occupabat; ab vtrisque affectibus perculsum.* Multi veterum, quorum loca allata videri possunt, §. 2. fingebant Memnonem, etiam postquam Cambysis iussu mutilatus esset, affectum vtrumque, et laetitiae et doloris, quotidie testari perrexisse. Cum vero figmentum hoc ipsa quotidiana experientia falsi argueret, auctor Epigrammatis nostri, id tantum ante Cambysis tempora locum habuisse, asseuerat. Et vero dissimile non est, flebilem Memnonis casum, voci quoque eius aliquod intulisse detrimentum. Multa sunt, quae id mihi persuadent. Sed quicquid tamen hoc est coniecturarum, id omne eruditorum examini et arbitrio perquam libens submitto.

Cauſa huius prodigii alia nulla fuit, quam fraus Sacerdotum.

§. 9. Plures ex veteribus, in cauſam rei adeo ſingularis et rarae, quod lapis, ore veluti aperto, vocem tanquam loquentis, certo ſtatutoque tempore emitteret, erant qui ad ipſam lapidis huius indolem et naturam recurrerent, exiſtimantes, id lapidi huic eſſe proprium. Horum ſententiam ſequi videtur PAVSANIAS, quippe qui haec ſcripſerit. * *Lapis, qui Megaris oſtenditur, ſi quis eum calculo percuſſerit, eundem, quem pulſae fides,* ** *ſonum reddit. At enim Coloſſum, qui Thebis Aegyptiis eſt, trans Nilum, maiore vtique cum admiratione ſpectaui. — Quotidie ſub ipſum Solis ortum ſonum edit, qualem vel cytharae, vel lyrae nerui, ſi forte* (dum tenduntur) *rumpantur.* Et profecto admiratione multo dignius cenſeri debet, quod lapis, nulla accedente cauſa externa, proprio quodam veluti motu, vocis aliquam ſpeciem, praeſtituto tempore, edat, hominisque loquelam imitetur. Fuerunt equidem, qui id virtuti diuinae attribuendum eſſe ſomniarent, quos inter agmen ducere videtur PHILOSTRATVS et CALLISTRATVS, vide §. 1. illiusque ſententiae non pauci ex iis fauent, quorum Epigrammata in Statua Memnonia videntur inſculpta. Verum alii ſuſpicati potius ſunt, lapidem arte quadam mechanica ad emittendum vocis ſonum diſpoſitum fuiſſe. *Statua haec*, inquit *** vetus quidam Grammaticus, *arte quadam mechanica, ita compoſita erat, vt humana voce regem et Solem ſalutaret.* Neque aliter EVSTATHIVS, cuius locum dedimus §. 2. rationes ſubduxit. Et memini inter recentiores noſtros eruditos reperiri, † qui artificii huius rationem explicare nobis voluerint. STRABO loquelam iſtam Statuae Memnoniae fraudis habuit ſuſpectam, etſi, quanam in re fraus conſiſteret,

* In *Atticis* p. 101.

** Beatus LACROZIVS, vbi in Aduerſariis MSS. breui, vt ſpero, ſub nomine *La Crozianorum* edendis, locum hunc ſibi notauit e PAVSANIA, haec addit. *Eiusmodi lapidem vidi in Britannia Armorica.* PETRVS etiam VALLENSIS mentionem facit lapidis ſupra modum duri, in Pyramide Memphitica a ſe inuenti, qui percuſſus ſonum reddiderit, tanquam campanae, peracutum; ſed inſigniter ſuauem et iucundum. *Les Voyages* de PIETRO DELLA VALLE To. I. p. 277. verſionis gallicae.

*** Vide ſupra §. 3.

† KIRCHERVS in *Oedipo.* BOURDELOT *hiſtoire de la Muſique* To. I. p. 55.

fisteret, nescire se aperte fateretur. * *Circiter horam primam*, inquit, *sonitum audiui: vtrum a basi, siue a Colosso, an vero ab aliquo eum circumstantium editus fuerit, non habeo affirmare: cum propter incertitudinem causae, quiduis potius credere subeat, quam ex lapidibus sic compositis sonitum edi.* De Christianis dubium non est, quin hoc omne quicquid est, artibus, aut etiam praestigiis magicis Sacerdotum, in acceptis retulerint. Si etiam credimus SYNCELLO, qui id ex antiquiori vtique scriptore accepit, ** ipse Cambyses Persarum rex, ea de re persuasus fuit, et hac eadem de causa, Colossum in medio rumpi iussit, *νομίζων εἶναι γοήτειαν ἐν αὐτῷ, existimans latere in ea aliquas praestigiatoris fraudes.* Non aliter de hoc prodigio sensit seuerus morum censor, IVVENALIS, quando de Statua Memnonia cecinit Sat. XV.

Dimidio magicae resonant vbi Memnone chordae.

Et profecto rem ita se habuisse, euentus testatum omnibusque manifestum fecit. Nam postquam Sacra gentilium in Aegypto, per Imperatores Christianos, aut plane abolita, aut ad languorem extremum redacta fuere, postquam Sacerdotes, reditibus opimis, omnique auctoritate ac potestate exuti sunt, Statua illa altum ad hoc nostrum vsque tempus seruauit silentium, visque illa mirifica, quam illi inesse credidere veteres, penitus desiit. A temporibus Seculi IV. inclinati, et V. aerae Christianae, non memini, scriptorem quenquam, siue Christianus sit, siue Muhamedanus, Statuae Memnoniae, ceu existentis etiamnum, aut sibi visae, mentionem aliquam facere. Et ignoraremus hodieque, superesse tne Statuae illius aliquid, nisi CLAVDIVS SICARDVS primo, eam se oculis vsurpasse, affirmasset, eamque postea RICHARDVS POCOCKIVS accurate descripsisset, et descriptioni elegantem Statuae Memnoniae delineationem addidisset. Hic igitur est Statuae illius antiquissimae et multo celeberrimae verus restaurator.

* Vide supra §. 1.
** In *Chronographia* p. 151.

CAPVT V.

De nomine Oſymandyae, quo Statua Memnonia ab Aegyptiis deſignari conſueuit.

Amenophin, ſiue Memnonem Aegyptium, et Oſymandyen, eundem eſſe, docet Strabo. §. 1. Neque Oſymandias Diodori, ſi is recte excutiatur, ab Amenophi, vel Memnone differt. §. 2. Eiusdem Statua Oſymandyae, eadem plane eſt cum Memnonia. §. 3. Id ipſum denique ex nomine ipſo Oſymandyae confirmatur. §. 4.

§. 1.

Amenophin, ſiue Memnonem Aegyptium, eundem eſſe cum Oſymandya, docet Strabo.

De Oſymandya in ſuperioribus quaedam iam delibauimus. Diximus autem * *Oſymandyen* ab *Amenophi*, cuius ſaxea effigies, Thebis cernebatur, diuerſum haut quaquam fuiſſe. Auctorem huius rei habemus STRABONEM ipſum, qui id, quod refert, ab incolis illius regionis accepit. Verba eius Lib. XVII. p. 559. ita ſonant: Ὁ Μέμνων ὡς φασὶν, ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων Ἰσμάνδης λέγεται. *Memnonem dicunt ab Aegyptiis Ismandem vocari.* Quisnam ſit ille *Iſmandes*, hodie nos lateret, niſi ex DIODORO *Siculo*, diſceremus, Thebis, eodem in loco, in quo conſpicienda erat Statua Memnonia, celebratum quoque fuiſſe nomen *Oſymandyae*. Et profecto, ſi vera ſunt, quae de iſto Thebaeorum, et totius Aegypti rege, DIODORVS commemorat, credi vix poteſt, fuiſſe vllum ex omnibus Aegypti regibus, et multitudine et magnitudine rerum geſtarum illuſtriorem, et tum in patria, tum apud exteros celebriorem. Et tamen, ſi DIODORVM, et, ad quem is prouocat, HECATAEVM *Mileſium*, eximas, vix eſt inter veteres quisquam, apud quem illius nomen reperias. Apud HERODOTVM, certe, qui celebriorum Aegypti regum commeminit, fruſtra quaeras *Oſymandyen*. In ERATOSTHENIS Catalogo regum Thebaeorum, nullum videas comparere huius nominis Principem. In ipſis MANETHONIS Aegyptii Dynaſtiis, *Oſymandyas* prorſus exulat. Eam ob cauſam reperti ſunt, ** qui *Oſymandyen*, cognomen aliquod *Seſoſtris* fuiſſe, et illum in hoc tutiſſime quaeri et inueniri poſſe, perſuaſum haberent. Neque negari poteſt, res

* Synt. II. cap. I. §. 7. et cap. III. §. 3.

** PERIZONIVS Origin. Aegypt. cap. XVII. p. 306.

res gestas, quas historia tribuit Sesostri, cum illis, quae in *Osymandyae* rationibus ponuntur, permagnam habere affinitatem. Verum, vti dixi, credendum hic omnino STRABONIS testimonio *Ismandem*, vel *Osymanden*, quae nomina vnum eundemque designant, diuersum ab eo non esse, quem Graeci *Memnonem* vocitent. Quam sententiam video etiam * viro doctissimo, et in his rebus inprimis exercitato, placere et penitus probari.

§. 2. DIODORVS *Siculus* adduci non solet, tanquam opinioni huic fauens. Et certe, si quis historiam eius obiter legat, illius quam dixi rei, vestigium vix aliquod inueniet. Praestantissimi etiam viri, qui egregium hunc Scriptorem diligenti manu versarunt, ne suspicantur quidem *Osymandyen* illius, esse *Amenophin*, siue *Memnonem*, cuius inclyta erat in Aegypto Statua. Potius, cum Statua Memnonis, et Memnonium, nonnisi trans Nilum, in Libya Aegyptiaca reperiantur **, ipsi Palatium et Mausoleum *Osymandyae*, cis Nilum in Arabia Aegyptiaca locant. Vbi vero DIODORI verba, seria et attenta aestimatione perpendo, sentio quidem, eum, vbi ad hoc argumentum delabitur, non de visu, vti STRABO, et recentiores nostri peregrinatores; sed de solo auditu, ex aliorum nempe relationibus, loqui: verum aliter tamen iudicare haud possum, quam omnia illa, quae de *Osymandya*, et aedificiis ipsi consecratis, refert, ad *Memnonem* Aegyptium, et denominatum ab eo *Memnonium*, referenda esse. Tradit enim optimus hicce auctor, p. 44. a primis regum Thebaeorum sepulchris, vsque ad Monumentum Osymandyae, decem numerari stadia. Et hoc circiter esse interuallum, quod Statuam Memnoniam a regum Thebaeorum sepulchris disiungit, ex descriptione istius regionis Pocockiana, luculenter intelligi potest. Deinde ad Statuam Osymandyae describendam procedit, aitque, *esse omnium, quae in Aegypto reperiuntur, maximam*, id quod de Statua Memnonis, matrisque eius, vere dici posse, affirmare ausim. Argumenti loco ipsi est, quod Statuae huius *pes* plus *septem excedat cubitos, vel vlnas*. In Statua vero Memnonia, quam POCOCKIVS accurate mensus est, *longitudo pedis, nouem decemque pedum nostrorum est*, quae mensura illam DIODORI, magnitudine superat. Quod si vero consideres, non

Nec Osymandyas Diodori, si is recte excutiatur, ab Amenophi, vel Memnone Aegyptio differt.

* MARSHAMVS in *Canone Chron.* p. 427.

** Ita CLAVDIVS SICARDVS, dans les *Nouveaux Memoires des Missions*, To. V. p. 224. 225. T. VII. p. 161. POCOCK'S *Observations on Egypt*, p. 106. 107.

non per omnia inter se conuenire, veterum nostrorumque recentiorum, modulos mensurarum, absurdum non fuerit dicere, mensuram DIODORI, a Pocockiana, non ita longe discedere.

Statua Osymandyae, a Diodoro descripta, eadem est cum Memnonia.

§. 3. Illud vero ante omnia sententiam meam firmat, quod nisi me vana fallaxque decipit opinio, DIODORVS, de Statua *Osymandyae* loquens, ipsum *Memnonis* nomen adhibuerit. Verba eius haec sunt p. 44. Editionis Wechelianae, qua sola vti datum est: Παρὰ δὲ τὴν εἴσοδον ἀνδριάντας εἶναι τρεῖς, ἐξ ἑνὸς τοὺς πάντας λίθου Μέμνονος τοῦ Συκνίτου· καὶ τούτων ἕνα μὲν καθημένον ὑπάρχειν μέγιστον πάντων τῶν κατ' Αἴγυπτον· ὃς τὸν πόδα μετρούμενον ὑπερβάλλειν τοὺς ἑπτὰ πήχεις. Quod sic latine redditur: *In aditu perhibent, tres Statuas videri, ex vno saxo omnes, Memnonis Sycnitae opus. Harum vnam sedere, omnium in Aegypto maximam; quae pedis sui mensura, excedat cubitos septem.* Quid sibi hic velit *Memnon Sycnites*, si haec sit genuina lectio, dictu perquam difficile fuerit. Candide fatetur illustris MARSHAMVS: * *Vocem hanc non capio, neque interpres, qui Statuarium intelligit; nescio an sit patris nomen.* Post eum, alius eruditus Anglus de nomine eodem hocce iudicium tulit. ** *Opus est Memnonis Sycnitae, Statuarii haud dubie valde celebris.* At mihi videtur locus in mendo cubare, et insuper transpositione vnius vocis esse inquinatus. Existimo eum hunc in modum posse restitui. Παρὰ δὲ τὴν εἴσοδον ἀνδριάντας εἶναι τρεῖς ἐξ ἑνὸς τοὺς πάντας λίθου, τοῦ Συηνίτου. Καὶ τούτων ἕνα μὲν καθημένον τοῦ Μέμνονος, ὑπάρχειν μέγιστον πάντων τῶν κατ' Αἴγυπτον. Verte: *In aditu perhibent tres Statuas videri, omnes ex vno lapide, Syenite videlicet. Harum vnam Memnonis sedere, omnium in Aegypto maximam.* Ferebant nempe, in aditu vestibuli tres esse Statuas, omnes ex vno lapide excisas, *marmore* nempe *Syenitico*, omnium totius Aegypti celeberrimo. Meminit illius PLINIVS Lib. XXXVI. cap. VIII. *Circa Syenen vero Thebaidis, Syenites* lapis, *quem antea* *** *pyrhopoecilon vocabant. Trabes ex eo fecere reges quodam certamine, obeliscos vocantes.* De Nilometrio Syenitico scribit HELIODORVS Lib. IX. p. 443. fuisse illud συνόμῳ μὲν καὶ ξεστῷ λίθῳ κατεσκευασμένον, *ex lapide secto, eiusdem*

* In *Canone Chronico*, p. 427.

** POCOCK'S *Obseruations on Egypt.* p. 107.

*** Ex lapide hoc *pyrhopoecilo* Statuam Memnonis sculptam esse, tradidit TZETZES. Vide supra cap. IV. §. 3.

dem Nomi (Syenite videlicet) *extructum.* Ita illic erat vertendum Et * cernuntur hodieque lapicidinae Syeniticae, ex quibus trabes illae admirandae, variaeque Statuae, olim exſcindebantur. Ex illo lapide Syenite, ſculpta quoque fuerat in Monumento Oſymandyae, Statua hominis ſedentis, Memnonis. Quis vero ille ſit, niſi quem Aegyptii *Amenophin*, Graeci vero Memnonem appellabant? cuius Statuam fuiſſe ſedentis hominis, teſtantur veteres et loquitur res ipſa. Eam porro DIODORVS ait omnium Statuarum, quae in Aegypto exiſtebant, eſſe maximam, quod de Memnonia noſtra verum pariter eſt. Si quis omnia recte exploret, videbit ea ad ſtabiliendam correctionem et explicationem meam concurrere. Neque illa, quae apud DIODORVM ſequuntur, tantum ſententiae meae obſunt, quantum forte nonnullis videri poterunt. Ita nempe auctor hicce pergit: Ἑτέρας καὶ δύο πρὸς τοῖς γόνασι, τὸν μὲν ἐκ δεξιῶν, τὸν δὲ ἐξ εὐωνύμων, θυγατρὸς καὶ μητρὸς, τῷ μεγέθει λειπομένας. *Ferunt porro, duas alias Statuas, ad prioris illius ſedentis genua cerni, alteram a dextris, a ſiniſtris alteram, filiae nimirum et matris, prioris magnitudinem non aſſequentes.* STRABO, quod ** iam vidimus, Statuas nonniſi duas obſeruauit, totidemque ſe conſpexiſſe ***, teſtatur POCOCKIVS. At enim de tribus loquitur DIODORVS, quae proinde ab iis, quae in Memnonio viderunt STRABO, et recentiores peregrinatores, differunt. Sed bene eſt, quod ipſe Statuae Memnoniae conſpectus, difficultatem hanc omnium optime ſoluat, verbaque DIODORI explicet, aut quomodo intelligi debeant, clare doceat. Ait nempe DIODORVS, Statuae Memnoniae adſtitiſſe et a dextra, et a ſiniſtra, duas alias πρὸς τοῖς γόνασι, *ad genua.* In ipſa vero Memnonis Statua, vti eam beneficio POCOCKII delineatam habemus, crus vtrumque, et a dextra, et a ſiniſtra, circumſiſtere cernimus duas Statuas, ſexus, vt videtur, foeminei, quae a planta pedis Memnonii, vsque ad genu fere pertingunt. Tres igitur Statuae DIODORI, qui aut relatione parum accurata deceptus fuit, aut eam minus recte intellexit, re ipſa non ſunt niſi vnica, qua de re non dubitabit, qui Statuae Memnoniae effigiem, hic adiectam ipſe inſpicere, eaque quae dicta nunc ſunt, rite atque lance aequa expendere dignabitur. Pergit deinde DIODORVS:

Εἶναι

* POCOCK, vbi ſupra p. 117.
** Supra cap. IV. §. 1.
*** Vbi ſupra p. 101.

Εἶναι δὲ καὶ ἄλλην εἰκόνα τῆς μητρὸς αὐτοῦ, καθ' αὐτὴν, ἐπὶ πηχῶν, μονόλιθον· ἔχεται δὲ * τρεῖς βασιλείας ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ἃς διασημαίνειν, ὅτι καὶ θυγάτης, καὶ γυνὴ, καὶ μήτης βασιλέως ὑπῆρξε. *Aliam insuper aiunt Statuam esse matris illius, seorsim positam, cubitorum* XX, *uno Saxo constantem, in cuius capite tria cernantur regiae potestatis insignia, quibus significetur, filiam, uxorem, et matrem regis fuisse.* Vides, praeter Statuam Memnonis, quae duas alias minores in se comprehendit, fuisse Statuam secundam, seorsim constitutam, effigiem nempe matris Memnonis, sive dicere malis Amenophis, aut Osymandyae. Nam non haec prorsus concordant, cum iis ** quae et veteres et recentiores de duabus Statuis in Memnonio positis commemorant. Quae vero DIODORVS de aedificiis amplissimis et sumtuosissimis, monumentum Osymandyae ambientibus, refert talia sunt, vt *** eorum vestigia et rudera etiammum a peregrinatoribus curiosis obseruentur.

Idem ex ipso Osymandyae nomine Aegyptiaco confirmatur.

§. 4. Nihil vero est, quod ea, quae nunc discussimus, et pro virili adstruximus, aeque stabiliat, firmiusque communiat, atque ipsum *Osymandyae* nomen Aegyptiacum. Qui linguae veteris Aegyptiacae vel tenuem tantum notitiam sibi acquisiuit, non poterit non mihi assentiri, nomen *Osymandyae*, nihil aliud significare, quam *vocalem*, subintellige *Statuam*. Multis ostendimus cap. IV Statuam Memnoniam ea de causa tantam apud veteres consecutam esse celebritatem, quod etsi lapidea esset, certis tamen temporibus, et proprio veluti motu, vocem ederet, tanquam loquela esset praedita. Hoc erat lapidis illius miraculum, a tot Scriptoribus iactatum laudibusque praedicatum. Eam ob rationem CALLISTRATVS in *Statuis*, p. 865. Colossum hunc inclytum vocat λίθον ἔμφωνον, *lapidem voce praeditum*, et p. 876. λίθον ἔχοντα ἐξσίαν φωνῆς, *lapidem facultatem vocis habentem:* Et Scriptores plures, ad testimonium † alibi vocati, φθεγγόμενον λίθον, *lapidem sonantem et loquentem.* HIERONYMVS et FRECVLPHVS

* Suspicor auctorem scripsisse γ βασιλεια, ex quo librarius minus peritus fecit γ βασιλείας, et alius τρεῖς βασιλείας. Est vero βασιλειον, ornatus, qui cernitur in capitibus Deorum Aegyptiorum, globus videlicet, aut luna corniculata, aut simile quid. OVIDIVS dixit *regale decus*, Metam. Lib. IX. v. 689. γ βασιλεια vertere licet *regale decus triplex.*

** Vide supra cap. III. §. 3. et cap. IV. §. 2.

*** Vide supra cap. II. §. 4.

† Supra Synt. II. cap. I. §. 3.

PHVS eundem nuncupant *lapidem loquentem*. Id vero plane significat *Oſymandyas*, vel, vti STRABO habet, *Ismandes*. Nam ſermone Aegyptiorum ⲥⲙⲏ, *Sma*, dicitur *vox*, et cum praefixo articulo indefinito, ⲟⲩ-ⲥⲙⲏ, *U-Sma*. *Ti* vero, ⲧ, *dare* ſignificat. Erit ingitur ⲧ-ⲥⲙⲏ, *dare vocem*, iſt eſt *ſonare*, vel *vocem emittere*, Numer. XIV. 1. Pſalmo XLVI. 6. et LXVIII. 33. In Commentario de *Myſteriis literarum*, quem ATASIVS quidam, ſermone Aegyptiaco conſcripſit Seculo IV, et qui manu exaratus extat in Bibliotheca Bodleiana Oxonienſi, *literae vocales*, dicuntur ⲉⲧⲉ ⲟⲩ ⲛⲧⲟⲩⲥⲙⲏ, *quae habent ſonum*, et, vt mox additur, ⲥⲉⲧ ⲛⲟⲩⲥⲙⲏ, *dant ſonum*. Erit igitur ⲟⲩ-ⲥⲙⲏ-ⲛⲧ, *U-ſmandi*, ſi interpreteris, *dans ſonum*, vel *vocem*, et quod idem eſt, *vocalis*, ſiue *loquens*. Ex hac voce Graeci, confecerunt ſuum *Oſymandes*, vel, vti apud STRABONEM legitur, *Ismandes*. Vero mihi admodum ſimile videtur, veteres Aegyptios, Coloſſum ſuum mirabilem, primitus quidem cognominaſſe ⲙⲛⲙⲟⲩⲛ ⲟⲩⲥⲙⲏ ⲛⲧ, *Emnoni uſmandi*, quaſi diceres *lapideum vocalem*, ſubintelligendo Coloſſum. Prior pars huius cognominis *Emnoni*, nota fuit, vt opinor, HOMERO *, ex eoque anſam forte arripuit, *Amenophin* Aegyptiorum, *lapideum*, vel *Emnoni*, confundendi cum Graecorum, vel Troianorum *Memnone*. Poſtea priori hac cognominis parte abiecta, Coloſſus, quod probabile mihi fit, a vulgo appellari coepit ⲟⲩ-ⲥⲙⲏ-ⲛⲧ, *Uſmandi*, ſiue *vocalis*. De hoc *Uſmande*, quod tamen nil, niſi *lapidem vocalem*, aut *loquentem*, ſignificat, Sacerdotes labentibus annis, forte tamen nonniſi regnantibus iam Ptolemaeis, permulta finxere, et figmentis ſuis ſtrenue peregrinis impoſuere, quae apud DIODORVM legi poſſunt.

* Vide ſupra Syntagm. II. cap. II. §. 5.

CAPVT VI.

De Amenophis, ſiue Oſymandyae Diuinitate.

Nomen Amenophis, cuius in Thebaide celebratur Statua, erat ſymbolicum. §. 1. De illius Diuinitate teſtantur inprimis Inſcriptiones, in Statua eius extantes. §. 2. Plinius Memnonem videtur habuiſſe pro Serapide; ſed perperam. §. 3. Aliae quaedam de Amenophis diuinitate adferuntur coniecturae. §. 4. Amenophis probabiliter Symbolum aliquod fuit Solis. §. 5. Et quidem ver auſpicantis in Aequinoctio verno. §. 6. Coniectura haec nouo argumento illuſtratur. §. 7. Adfertur eadem de re ſententia doctiſſimi Mathematici. §. 8.

§. 1.

Nomen Amenophis, cuius in Thebaide celebratur Statua, erat Symbolicum.

Non de nihilo eſt, quod capite ſuperiori V. §. 1. obſeruauimus, *Oſymandyae* nomen, omnibus rerum Aegyptiacarum Scriptoribus, qui hiſtoriam illius regni attigerunt, ignotum eſſe, ſi vnum DIODORVM *Siculum*, et quem is ſequitur, HECATAEVM *Mileſium*, diu deperditum, demas. *Amenophin* vero, neque inter Aegypti reges, HERODOTVS, neque inter reges Thebaeos ERATOSTHENES, neque quantum meminiſſe poſſum, praeter MANETHONEM, omnino * quisquam alius commemorat. Et cum in hiſtoria MANETHONIS, ** quatuor Aegypti reges huius nominis occurrant, *** de vltimo ex iis, IOSEPHVS iudicat, eum a MANETHONE confictum, et in catalogum regum Aegypti, mala fide intruſum fuiſſe. Et quaedam tamen, quae de eo narrat MANETHO, talia ſunt, vt mihi quidem videantur, in fabulis Sacerdotum, de *Amenophi* illo tradita fuiſſe, cuius Statua mirabilis, prope Thebas conſpicienda erat. Ob rationes vero alias, MARSHAMVM in eadem quoque fuiſſe ſententia, *Amenophin* MANETHONIS quartum, a *Memnone* Graecorum haud differre, cuius nempe a Veteribus Statua tantopere celebretur, † ſuo loco monuimus. Et is tamen, ſi IOSEPHVM audimus, nonniſi in MANETHONIS cerebro extitit; inter reges vero

* Reperiebatur etiam in CHAEREMONIS *hiſtoria Aegyptiaca*, apud IOSEPHVM Lib. I. adv. Apion. §. 32. Sed is haec ex MANETHONE deſumſerat.

** Vide ſupra Synt. II. cap. II. §. 6.

*** Vide ibidem et IOSEPHVM adv. Apion. Lib. I. §. 26.

† Vbi ſupra.

vero Aegypti, locum omnino nullum habet. Non nego, MANETHONEM ipſum, * Coloſſum Thebaeum referre ad *Amenophin* ſecundum. Verum enim vero ſunt iuſtae rationes dubitandi, fuerint haec ab ipſo MANETHONIS calamo profecta, an vero AFRICANO potius in acceptis ferenda ſint. Et praeterea, quaenam quaeſo, poterit ** in tanta rerum diſcordia apertaque pugna, eſſe certitudo hiſtorica? Non poſſum igitur, quin hic adſtipuler, viro in rebus Aegyptiacis non perfunctorie exercitato, quem tale tuliſſe iudicium video. *** *Nihil incertius Amenophis iſtius aetate, quippe quem Vſſerius ad Moſis tempora refert, alii plerique ad ſeriora longe demittunt. Quod vero Manetho, vt et Chaeremon, Moſen ſub Amenophi, et quidem tertio Dynaſtiae* XIX. *rege, vixiſſe, et Iſraëlitas ex Aegypto eduxiſſe tradiderunt, id vero manifeſte ſatis arguitur ratione temporis.* &c. Et † iterum. *Verum haec omnia in incerto poſita fateor.* Rationibus certe non minimi momenti docti euicerunt, in multis rebus fidem MANETHONIS magnopere vacillare, quod et hic locum habere arbitror. Nempe nouerant Aegyptii omnes, Coloſſo celebri Thebaeo nomen eſſe *Amenophi;* ſed quis eſſet ille *Amenophis*, non omnibus forte aeque perſpicuum erat. Ego nomen huic Coloſſo impoſitum, non opinor fuiſſe alicuius regis, quippe quod in Catalogo regum Thebaeorum ERATOSTHENIS haud occurrat; verum mere ſymbolicum, ad quaedam attributa Diuinitatis alicuius, in Aegypto cultae, relatum; quamuis negare nolim, fuiſſe forte aliquos Aegypti reges, qui more paſſim in illa gente recepto, in honorem ſymbolicae iſtius diuinitatis, nomen eius quoque adſciuerint. Sed MANETHO traditiones Sacerdotum allegoricas et aenigmaticas de *Amenophi*, hiſtorice interpretatus eſt, et ad aliquem Aegypti regem, nomine eodem, aut praeditum, aut forte a ſe donatum, transtulit. Quicquid ſit, illud ſpero, cordatus quiuis rerum talium arbiter, qui omnia rei huius momenta curate expendere fuerit dignatus, haud facile inficias ibit, regno Amenophis huius Thebaei, nihil dari incertius; cum viciſſim eius diuinitas, et religioſa, quam in Aegypto obtinuit, veneratio, certa ſit, multisque modis teſtata.

* Apud SYNCELLVM p. 72.

** Praeter ea, quae dicta hic ſunt, videri etiam poſſunt, PERIZONII *Origines Aegypt.* cap. XV. p. 247.

*** Idem, libro eodem, cap. XII. p. 188.

† Idem cap. XV. p. 249.

De Amenophis diuinitate teſtantur inprimis Inſcriptiones, in Statua eius extantes.

§. 2. *Amenophin*, vel, vti Graeci eum vocant, *Memnonem*, cultu aliquo religioſo honoratum fuiſſe in Thebaide, Scriptores quidam memoriae prodidere graeci. In his PHILOSTRATVS, ex DAMIDE ſuo refert, *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3. *Aethiopes Memnonem lugere, tanquam morte immatura extinctum.* Et mox narrat, *Aethiopes ſacra feciſſe Memnoni Eoo.* Si HELIODORI *Aethiopica* fide videri poſſunt hac in re digna, * ex illis diſceremus, Aethiopes ſupra Aegyptum, Memnonem inter heroës ſuos, cultu publico veneratos fuiſſe. Nec minores honores eum in Aſſyria eſſe conſecutum, ** credere nos iubet OPPIANVS. Verum ſi quid recte iudico, fictio haec eſt eius Poëtica, cui aliquam veri ſpeciem ex eo conciliari poſſe exiſtimauit, quod hinc quidem, ſcriptores non pauci, natales ei in Aſſyria aſſignauerint, vbi *Suſa Memnonia* gloriae eius teſtes ſint, et quod illinc alii, in Thebaide honores diuinos eum conſecutum eſſe, literis mandauerint. Verum omnium luculentiſſime, Inſcriptiones Graecae Latinaeque, in Statua Memnonis inſculptae, teſtantur, eum etiam poſt Chriſti Domini natiuitatem, pro Deo habitum, eique honores diuinos tributos fuiſſe. Extat in crure dextro illius Statuae, Inſcriptio Graeca, mirifice corrupta, in qua haec tamen ſatis diſtincte leguntur;

ΗΚΟΥΣΕΝ ΕΛΘΩΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΤΟΝ ΗΧΟΝ.

Audiuit Praetor, cum veniſſet, DEI vocem.

Vides hic dici *vocem Dei*, quae in plerisque Inſcriptionibus nuncupatur *vox Memnonis.* In eadem Inſcriptione et haec reperiuntur, quae ab ipſo auctore ſic ſcripta fuiſſe arbitramur:

ΠΑΡΗΝ ΘΕΩΡΟC ΚΑΙ ΠΡΟCΕΚΥΝΗCEN

Adfuit Praetor, *ſacra legatione fungens ad Memnonem, eumque adorauit.*

Θεωροὶ dicebantur, qui nomine publico legatione ſacra ad templum alicuius Dei fungebantur, plerumque Oracula eius conſulturi. Tali legatione functus etiam erat quidam in Aegypto Praetor ad Memnonem, et adueniens eum adorauerat. Quae in crure ſiniſtro prima legitur Inſcriptio, Trebellae nomine poſita, ita legenda videtur:

ΤΗC ΙΕΡΑC ΑΚΟΥΟΥCΑ ΦΩΝΗC ΜΕΜΝΟΝΟC
ΕΠΟΘΟΥΝ CΕ ΜΗΤΕΡ ΚΑΙCΑΡΟC ΕΝΕΥΩΧΕΙΝ

Cuius

* Vide ſupra Synt. I. cap. II. §. 6. ** Vide ibidem.

Cuius hic eſt ſenſus. *Poſtquam voti huius compos factus ſum, vt SANCTAM VOCEM MEMNONIS audirem, nunc illud, quod vnice cupio, reſtat, vt te Mater Caeſaris conuiuio excipiam.* In crure eodem cernitur Inſcriptio graeca, ſupra iam allata, cap. IV. §. 6. vbi et iſta occurrunt ΗΚΟΥϹΑ ΜΕΜΝΟΝΟϹ ΤΟΥ ΘϹΙΟΤΑΤΟΥ. *Audiui Memnonem ſanctiſſimum.* Alia illic habetur Inſcriptio, ſic, vt opinor, legenda:

Λ. ΦΛΑΟΥΙΑΝΟϹ
ΦΙΛΙΠΠΟϹ
ΕΚΛΥΟΝ ΜΕ
ΜΝΟΝΟϹ ΘΕΙΟΤΑΤΟΥ.
Lucius Flauianus Philippus audiui
Memnonem maxime diuinum.

Cui iungo partem vltimam alius Inſcriptionis graecae, ſic conceptam:

ΘΕΙΟΤΑΤΟΥ ΝΥΚΤΩΡ
ΟΜΦΗΝ ΕΠΙ ΜΕΜΝΟΝΟϹ
ΗΛΘΟΝ
Noctu acceſſi, vt oraculum audirem
maxime diuini Memnonis.

Φωνὰς τὰς θείας Μέμνονος, *diuinas Memnonis voces*, celebrat etiam Epigramma graecum, a D'ORVILLIO integritati ſuae reſtitutum, quod cap. IV. §. 6. deſcripſimus.

§. 3. Ex his, quae nunc congeſſi, omnes facile perſpicient, Coloſſum quem Graeci *Memnonium* dicunt, in Thebaide, ſymbolum aliquod ſanctum fuiſſe Diuinitatis: id tantum quaerere nunc operae pretium eſt, cuinsnam Diuinitatis. Si PLINIVM audimus, Statua, quam perhibebant Memnonis, * dicata erat in Templo Serapis, vnde ſuboriri quibusdam poſſet talis ſuſpicio, eam re ipſa fuiſſe ſaxeam effigiem Serapis. At enim, ſi genuina eſt PLINII lectio, ea hic memoriae prodidit Scriptor inclytus, quae mihi veroſimilia omnino non videntur. STRABO nonnihil antiquior Plinio, ** vbi de Coloſſo Memnonio agit, quem oculis ipſe inſpexit, Memnonii meminit quidem, nullius vero Templi Serapidis. Idem etiam *** de PAVSANIA,

Plinius Memnonem videtur habuiſſe pro Serapide; ſed perperam.

* *Hiſt. natur.* Lib. XXXVI. cap. VII.
** *Geograph.* Lib. XVII. p. 561.
*** Vide ſupra cap. III. §. 3.

NIA, Plinio aliquanto iuniore, obſeruare licet. Et is quidem, licet Thebis fuerit ipſe, magnaeque huius vrbis reliquias triſtes oculis vſurpauerit, nullum tamen in vrbe hac, aut prope illam, Templum Serapidis antiquum, cognitum habuerat: nam de Dei huiusce Templis in Aegypto, huiusmodi perhibet teſtimonium. * *Apud Aegyptios plura ſunt Dei Serapis Templa; ſed clariſſimum habent Alexandrini, antiquiſſimum Memphitae.* In ipſa quoque Memnonis Thebaei Statua nihil deprehendo, quod ad Serapim antiquum, merito referendum eſſe iudicari poſſet. Tempore etiam Plinii, aedificium aliquod, Templi ſpeciem prae ſe ferens, in quo cerneretur Statua Memnonia, non crediderim ſuperſtes fuiſſe, id enim ex STRABONIS et PAVSANIAE verbis ſatis mihi colligere poſſe videor. Longum igitur illud et vere magnificum veſtibulum Templi, ** in quo initio Coloſſus Memnonius dedicatus poſitusque erat, tempore iam Cambyſis vaſtatum et forte dirutum fuiſſe, mihi quidem veroſimile fit, ita nempe, vt quaedam illius rudera, qualia et nunc conſpiciuntur, tantum ſupereſſent. Potuit vero locus ille, quem *** STRABO et alii *Memnonium* appellant, a Graecis recentioribus forte pro *Serapeo* haberi, quod Coloſſus Memnonius, illic loci poſitus, aliquid cum Statua Serapidis Alexandrini habuiſſe commune, nonnullis videretur. De ſigno namque Serapidis Alexandrini hoc videas commemorari. In Templo Serapidis Alexandriae, † *feneſtra perexigua ab ortu Solis ita erat aptata, vt die qua fuerat inſtitutum, Simulachrum Solis ad Serapin ſalutandum introferri, diligenter temporibus obſeruatis, ingrediente ſimulachro, radius Solis per eandem feneſtram directus, os et labra Serapis illuſtraret, ita vt inſpectante populo, oſculo ſalutatus Serapis videretur a Sole.* Ad rem hanc arbitror reſpicere Oraculum, quod Serapidi tribuitur in haec verba conceptum:

†† Φαιδρὴ μὲν κατὰ δῶμα θεῦ καταλάμπεται αὐγή.
Ἦλθε γὰρ, ἠντιβόλητε μέγας θεὸς· εἶδεν ἐμεῖο
Κάρτος ἀμαιμάκετον. ——

Splen-

* In *Atticis*, ſiue Lib. I. p. 41.
** Supra cap. II. §. 4.
*** Vide ibidem.
† RVFFINVS hiſt. Eccleſiaſt. Lib. II. c. 23.
†† PORPHYRIVS apud EVSEBIVM Praepar. Eu. Lib. V. c. XIII.

Splendidus per tecti feneſtram illuxit Dei (Solis) *radius.*
Acceſſit enim, occurritque mihi magnum Numen:
viditque meum
Inuictum robur. ——

Tale quid ferme quotidie in Statua quoque Memnonis Aegyptii contigiſſe, Graeci perhibent, quod * ſuo loco prolixe expoſuimus. Euenire hinc potuit, vt Graeci quidam ſibi imaginarentur, eandem olim Memnonis Thebaei fuiſſe rationem, quae poſtea Serapidis Alexandrini, et vtriusque Numen idem fere ſubinnuere.

De Amenophis diuinitate coniecturae adferuntur aliae.

§. 4. Poſſet forte cuipiam in mentem venire, Coloſſum Memnonium, ex conſilio Sacerdotum Aegyptiorum, re ipſa ſymbolum fuiſſe *Diei*, ** cuius cognatum dicebant *Oſiridem*, id eſt *Solem*. *Dici* namque Aegyptios, per aliquam σωματοποιΐαν, diuinitatem attribuiſſe, *** plurimorum veterum teſtimoniis conſtat. Et conceptis verbis teſtatur EVSTATHIVS, † *ſimulachrum Diei Thebis in Aegypto auſtrali poſitum fuiſſe.* Neque me, ſi alia ad firmandam hancce coniecturam concurrerent argumenta, turbare illud poſſet, quod videamus Memnonem dici †† *Diei filium.* Reponere enim proclive eſſet, eam quam nonnulli vocant *Diem*, ab aliis, explicationis ergo, nuncupari *Auroram*, cuius filium allegorice recte dici poſſe *Diem*, quis dubitet? Alias praeterea obſeruauimus, Aegyptios ††† Solem certo reſpectu dixiſſe Solis filium, et * Lunam filiam Lunae. Cur igitur *Dies*, filius *Diei* ſano quodam ſenſu dici non potuiſſet? *Diem* certe ſtylo ſymbolico, dici poſſe filium *Solis*, nemo, vt opinor, inficias iuerit. *Solem* vero poëtae, et conditores ſtyli ſymbolici, *Diem* quoque appellant, quam nempe efficit. Inde eſt, quod in *Oraculis*, quae ſic dicuntur, *Sibyllinis*, Rhodus appelletur ** Ἡμερίη θυγάτηρ, *Filia diei.* Erat enim inſula haec *Soli* conſecrata, quod vel Rhodiorum nummi,

* Supra cap. IV. §. 2. 3.
** DIODORVS *Siculus* p. 24.
*** Vide ſupra Synt. I. cap. I. §. 3.
† In Commentario ad Dionyſ. Perieg. V. 243.
†† Vide Synt. I. loc. cit.
††† Vide *Pantheon*, Lib. II. cap. IV. §. 11.
* Ibidem Lib. III. cap. III. §. 5.
** Lib. III. p. 252. Edit. Opſopoei. Paris 1607.

nummi, * in quibus Solis effigies conſpicitur, ſatis teſtantur. Ideoque Poëta de ea ſic canit:

** *Tumque domus vere Solis, cui tota ſacrata eſt.*

Verum huic tamen explicationi non leuiter obeſſe fateor, quod veteres *Diem*, Memnonis non dixerint patrem; ſed matrem. Illi igitur Memnoni ſexum aſſignarunt maſculinum, Diei vero foemineum. Eſt ad haec veroſimile, Thebis non tantum Memnonis; verum et ſeorſim *Dici* ſtatuam erectam fuiſſe, quod *** in ſuperioribus iam tetigimus. Legenti haec alia forte noua ſubnaſci poſſet cogitatio, Coloſſum Memnonium ſymbolum extitiſſe ipſius Aegypti. Illam enim Aegyptii non inepte dicere potuerunt *Dici natam*, ſicuti Poëtae, quod modo vidimus, Rhodum eadem plane ratione, *Dici*, id eſt *Solis*, *filiam* nuncupauere. Merito Aegyptus Solis diceretur filia, quia omnem ſuam fertilitatem, omnem bonorum vbertatem, Soli debet, interueniente Nilo, foecunditatem ſibi concilianti, † id enim ſibi perſuadebant Aegyptii. Solem igitur, genitorem ſuum et conſeruatorem, prima diei hora ſibi illuceſcentem, Memnon Aegypti ſymbolum, laetus excipiebat, voceque prolata ſalutabat. Erat porro Statua huius Memnonis, ex lapide ſculpta, †† qui in colorem fuſcum nigricantem vergebat, et niger etiam a veterum multis perhibetur, eoque ſymbolum Aegypti habere poteſt, ſatis commode. Solent enim veteres hanc dicere ††† *μελάγγειον*, et * *μελάμβωλον*, cuius nempe *terra* eſt inſigniter *nigra*. Hinc PHILIPPVS in Epigrammate, quod habetur in Anthologia manu exarata, ita canit:

** *Αἰγύπτε μεδέουσα μελαμβώλε λινόπεπλε*
Δαῖμον. ——
Regina Aegypti nigrum ſolum habentis, linigera
Dea, Iſi. ——

Et

* SPANHEMIVS de vſu Numism. p. 277. 281. Edit. Belgic.
** MANILIVS Aſtron. Lib. IV. v. 764. ex emendatione Bentleii.
*** Cap. IV. §. 2.
† Vide *Pantheon* noſtrum Lib. IV. cap. II. §. 18.
†† Vide ſupra cap. III. §. 1. 4.
††† PLVTARCHVS de Iſide p. 364.
* STEPHANVS *de vrbibus* in voce Αἴγυπτος. EVSTATHIVS ad Dionyſ. v. 236.
** Haec citantur a SVIDA, in voce *μελάμβωλος*, vbi vide notas KVSTERI.

Et hoc ipſum nomen etiam, quo Aegyptum patriam ſuam, ſermone vernaculo deſignabant regionis illius incolae, ϫHⲘⲘⲤ, *Chami*, et ϫHⲘⲘⲈ, *Kame*, ſignificare poteſt. Et idem hoc teſtatur quoque * PLVTARCHVS, voce nempe *Chemi*, vel *Chami* Aegyptios innuere *nigrum*. Quoniam in eo ſum, ſuperuacaneum non puto, hic monere, nomen *Amenophis* explicari poſſe ϫHⲘⲘⲈ ⲛⲇϭϥⲤ, *Kame-nuphi*, vel ϫHⲘⲘⲤ ⲛⲇϭϥⲤ, *Chami-nuphi*, quod Graeci, omiſſa adſpiratione, extuliſſe videntur *Amenophis*, idque ſignificare *Aegyptum bonam*. Poſſis etiam, ** quod iam obſeruaui, nec incommode, vocem eandem *Amenophis* interpretari *cuſtodem Aegypti*. Quod ſi quis explicationi huic fauens, in Memnone ſymbolum Aegypti agnoſcere vellet, non illi repugnarem, ſi Memnoni ſexus tributus fuiſſet foemineus. Terram enim *** Aegyptii, non minus atque gentes cultiores aliae, ſymbolo Deae ſexus ſequioris, deſignare aequum duxerunt. Verum enim vero Memnonem omnes ſemper crediderunt et dixerunt heroëm generis maſculini, eamque ob cauſam ſententiam hanc mihi non probari fateor. A veritate propius abeſſe cenſeri poſſet, qui Memnonem Thebaeum, ſymbolum extitiſſe Nili, ſanctiſſimi Aegyptiorum fluuii, forte hariolaretur. Nam quae in ſymbolicis imaginibus Aegypti locum habent, ea fere ad Nilum fluuium trahi quoque poſſunt. Inde igitur eſt, quod, vti veteres obſeruant, † *Nili ſimulachra, eo quod terram Aethiopum tranſiens fluuius hicce in mare delabatur, ex lapide nigro fieri conſueuerint*. Et vt alia iam praeteream, peti hinc poſſet ratio, ob quam Coloſſus Memnonius, ſeptem vocales primitus aut reſonuerit, aut reſonuiſſe perhibeatur. Vide ſupra cap. IV. §. 7. Apud Aegyptios enim †† ſeptem vocales, ſymbola aut ſigna erant totidem Planetarum. Quid vero, inquies, Nilo cum ſeptem Planetis? Dicat hoc pro me MANILIVS, cuius ſequentes verſus, ex emendatione BENTLEII adſcribo:

††† *Atque haec Niliacas demum eſt menſura per oras:*
Qua rigat aeſtiuis grauidus torrentibus arua

 Nilus,

* *De Iſide* p. 364.
** Synt. II. cap. I. §. 6.
*** Videri poteſt *Pantheon* noſtrum Lib. V. cap. III. §. 4.
† PAVSANIAS in *Arcadicis* cap. XXIV. p. 647.
†† Videri poſſunt *Prolegomena* noſtra ad *Pantheon*. §. XXV.
††† *Aſtronomic.* Lib. III. v. 453.

Nilus, et erumpens imitatur ſidera mundi
Per ſeptem fauces, atque ora fugantia Pontum.

Memnon probabiliter fuit ſymbolum aliquod Solis.

§. 5. Verum quando omnia ſamen ſerio, et aequa lance expendo, ſic tandem iudicare cogor, longe veroſimillime *Amenophin*, ſiue *Memnonem*, ſymbolum aliquod fuiſſe Solis, eiusque virtutis, poteſtatis, aut ſingularis cuiusdam ad terram noſtram relationis. In ipſa profecto Aegypto, quamuis ſequiori aeuo, quosdam Sacrorum interpretes, Statuam Memnoniam habuiſſe pro aliquo Solis ſymbolo, ex Epigrammate quodam, Statuae huic inſculpto, quod * alio loco totum deſcripſimus, ſatis intelligitur, in quo Memnon ſe ipſum dicit:

Βασιλεος ἡλίϐ εἰκονα ἐκμεμαγμένον
Regis Solis imaginem expreſſam.

Cum hac ſymboli Memnonii interpretatione conciliare non ita difficulter licet, quae de Amenophi, in fabulis ſuis aenigmaticis, Sacerdotes Aegyptii olim perhibebant, aut quae de Memnone ſuo finxerunt Graeci, fabulisque Aegyptiorum attexuerunt. Quando enim dicebatur, aut Diei, aut Aurorae, id eſt Solis orientis filius, nemo non videt, et ex iis quae capite hoc obſeruaui, iam ſic ſatis intelligi poteſt, figmenta huius generis non inepte ad Solem transferri. Quasdam Aegyptiorum fabulas myſticas, id ipſum non ita obſcure innuentes, mox inſuper adferemus. Diutius argumento huic non immorabor. Verum illud diſcutiendum nobis tamen reſtat, quamnam in ſymbolo Memnonio, vim, poteſtatemque, quamue illius ad noſtram terram relationem, Sacerdotes depingere, aliorumque venerationi exponere voluerint. Huiusmodi certe cultus reſpectum, habebant apud Aegyptios, Numina ipſorum primaria, *Amun*, ſiue *Iupiter*, qui referebatur ad Solem vernum, quemadmodum et eorundem *Hercules*, *Horus*, ſiue *Apollo*, Solis aeſtiui, *Serapis* Solis autumnalis, et *Harpocrates* hyberni ſolis ſymbolum. Praeter Deos hos Aegyptiorum Principes, qui re ipſa nihil aliud, quam beneficia Solis, tum verna, tum aeſtiua, tum autumnalia, tum denique hyberna, in imagine aliqua depingebant, habebant Sacerdotes etiam alia rerum earundem ſymbola, non quidem inter publica gentis illius Numina ſolenniter relata, et cultu populari celebrata; ſed quibus tamen ſuus aliquis honos, et quaedam venerationis religioſae ſpecies, ex Sacerdotum ſententia decernebatur. Talia ſunt ſymbola hyemis et aeſtatis, quae HERODOTVS in Templi Memphitici ambitu vidit, et de quibus haec memoriae mandauit Lib. II. c. 121. *Rhampſinitus monumenta nominis*

* Cap. IV. §. 8.

minis ſui reliquit, veſtibula Templi Vulcani, quae ad Occaſum ſpectant. E regione veſtibulorum vero, duo ſtatuit ſimulachra, viginti et quinque cubitos longa, quorum alterum, quod Aquilonem reſpicit, ac Aeſtatis nomine inſignitur, ab Aegyptiis adoratur, multisque beneuolentiae ac reuerentiae teſtimoniis condecoratur: quod vero ad Auſtrum collocatum eſt, hyemsque nuncupatur, contraria plane experitur. Huius generis ſimulachrum extitiſſe Statuam Memnonis, Soli dicatum, eiusque aliquam conuerſionem annuam referens, non temere ſuſpicor. Sed cuiusnam conuerſionis ſymbolum, Statua illa prae ſe tulerit, paucis nunc disquiremus.

§. 6. Multa ſunt, quae mihi veroſimile quondam reddiderunt, Statuam Memnonis, ex nutu regis alicuius Thebaei, vel ex Sacerdotum conſilio, Symbolum extitiſſe veris, ſiue Solis in verno aequinoctio, ver auſpicantis: Coniecturae huic robur aliquod addit regio, locusque, in quo Statuam Memnoniam erectam fuiſſe nouimus. Erat autem ille Thebais, ac ſpeciatim ager ampliſſimae Thebarum vrbis, cuius ſummum ac tutelare Numen fuiſſe *Amun*, Aegyptiorum *Iouem*, neminem eruditorum latet. In iſthoc vero Numine, Sacerdotes Aegyptii, vim et virtutem illam Solis, quam in Aequinoctio verno teſtatam facit, impenſa religione quotannis venerabantur, quod * alio loco, argumentis pluribus prolixe adſtruximus. Illam igitur regionem ornabat ſaxea Amenophis effigies, quam ſuperſtitio Aegyptiorum auita, Soli verno ſingulari modo ſacram eſſe voluerat. Accedit ad hanc rationem alia, quam MANETHONIS hiſtoria de Amenophi nobis ſubminiſtrat, quaeque ex commentariis ſacris τῶν ἱερογραμματέων effluxiſſe videtur. Narrat igitur MANETHO de Amenophi, ** *quod concupiuerit Deorum conſpectu frui, quod idem Horo quoque, vni ex prioribus regibus, contigiſſet.* Haec mihi, quod etiam teſtatus iam ſum, non videntur ſapere hiſtoriam rerum aliquando vere geſtarum; ſed fabulam Secerdotalem aenigmaticam, quae ad Theologiam ipſorum phyſicam ſpectet. Rationes, quae me, vt ita ſentirem, permoverunt, momenti ſunt non leuiſſimi. Nam 1) IOSEPHVS, vbi MANETHONIS verba adfert, obſeruare nos iubet, regem illum, quippe qui in Annalibus Aegyptiorum, locum inueniat nullum, ab vno MANETHONE confictum, et pro ſuppoſititio habendum eſſe. Itaque deſumtus non erat ex vera hiſtoria ſuperioris Aeui, verum ex

Et quidem ver auſpicantis in aequinoctio verno.

* In *Pantheo Aegyptiorum* Lib. II. cap. II.

** Apud IOSEPHVM Lib. I. *adu. Apion.* §. 26. p. 460.

Commentariis Sacerdotum Theologicis, aut ex fabulis eorum ſymbolicis et allegoricis, ſub quarum inuolucris, mutationes naturae annuas in Coelo, et in terra, adumbrare ſatagebant. 2) Ipſa quoque illa locutio, quae hic ſe nobis offert, Θεῶν γένεσθαι θεατήν, *Deorum conſpectu frui*, Doctrinam Aegyptiorum Theologicam manifeſto prodit. De Hercule Aegyptiorum conſimiliter HERODOTVS refert Lib. II. c. 40. *quod lucem videre enixe cupiuerit.* Lucem quandam dictioni huic adferre videtur idem Scriptor, quando de filia Mycerini narrat, eodem Lib. c. 132. *eam oraſſe, vt poſt mortem ſemel quotannis Solem intueri ſibi liceret*, qualia ex antiquorum Aegyptiorum fabulis, de Aegypto loquentes, adferunt etiam * auctores quidam Arabes. Equidem CHAEREMON, qui in *hiſtoria Aegyptiaca* ſecutus erat MANETHONEM, rem ita narrat, ** *Iſidem in ſomnis Amenophi apparuiſſe.* Verum haec illius tantum eſt interpretatio dictionis, quam MANETHO ex Stylo et Theologia Sacerdotali mutuo ſumſerat. CHAEREMON *Deos videre*, vel *conſpectu eorum frui*, interpretatus erat *ab iis per ſomnium moneri*, et *edoceri:* quod ego verum eſſe certo quodam ſenſu, minime negauerim, quando ſcilicet de Sacerdotibus dictio illa adhibetur. Illi *** videre ſe Deos opinabantur, aut certe gloriabantur, quando aut aliis, aut etiam ſibi perſuadere annitebantur, ſe a Diis inſtinctu ſecreto impelli, aut edoceri. At in hiſtoria ſymbolica Amenophis locum id non habet. Ideoque 3) obſeruari velim, cum *Amenophi* coniungi *Horum.* Narratur enim, *Amenophin*, viſione Deorum frui eodem modo cupiuiſſe, ſicuti eadem ante ſe *Horus* pariter fruitus eſſet. Horum vero tota Aegyptus coelo locauit, Deorumque ſupremorum choro addidit. Regnum eius igitur, pertinet ad regnum Deorum, allegoricum, ſymbolicum. Tale igitur erat etiam regnum Amenophis, qui eius a Sacerdotibus perhibebatur Succeſſor. 4) Cum vero *Horus* ille, in fabulis Sacerdotum Theologicis, † certo reſpectu, cum ipſorum *Hercule* cenſeatur idem, non difficile erit lectori, ſagacis ingenii, perſpicere, fabulam Sacerdotalem vtramque, et quam HERODOTVS, et quam MANETHO refert, nonniſi ſolo nomine differre. HERODOTVS *Herculem* nominat; MANETHO vero *Horum:* de vtroque autem, qui perſaepe non niſi vnus ſunt, per-

* Poteſt hic videri *Pantheon* noſtrum Lib. II. cap. II. §. 8.
** Apud IOSEPHVM Lib. cit. §. 32. p. 465.
*** Poteſt hic conferri *Pantheon* noſtrum Lib. V. cap. V. §. 12.
† Oſtenditur hoc in *Pantheo* Lib. II. cap. IV. §. 8.

perhibent, quod cupiuerint conſpectu Deorum frui. Abunde vero * probaſſe mihi videor loco alio opportuno, fabulam HERODOTI, nec poſſe nec debere, niſi ad Aequinoctium vernum referri, ex quo conſequitur, idem tenendum quoque eſſe de *Horo* MANETHONIS. Quoniam autem, teſte Scriptore eodem, par eſt ratio *Amenophis*, id eſt, vt opinor, *Memnonis* Aegyptii, dubium ſupereſſe non videtur, hunc a Sacerdotibus, pro Symbolo quopiam veris, vel aequinoctii verni, habitum fuiſſe. Quodſi porro fabula, quam ** ſupra ex DEMETRII *Aegyptiacis* attulimus, Aethiopes a Tithono Troiam miſſos, cum circa Abydon de morte Memnonis certiores facti eſſent, illic coronas ſuas abieciſſe in ſpinas, ideoque ramos earum floribus onuſtos, coronis eſſe ſimiles, ex cerebro Sacerdotum in Aegypto prodiiſſet, et ea coniecturae noſtrae nouum conciliare poſſet praeſidium. Nouimus enim, Spinam Aegyptiacam, quam et Acaciam appellant, *** Menſe Martio, circa tempus Aequinoctii verni, flores illos protrudere, quos coronis nectendis aptos eſſe, vetuſti Scriptores obſeruant. Id vero fabulae illi confingendae, materiam dubio procul ſubminiſtrauit. Verum quia profeſſus ſum, fabulam hanc mihi quidem videri, ingenio Graecorum deberi, rem hanc ſuo loco relinquo.

Coniectura haec nouo argumento illuſtratur.

§. 7. Aliud praeterea nunc in mentem venit, de quo iudicium eſto penes lectorem cordatum. Nam ſi probari inuicte poſſet, Statuam Memnoniam, † quod ſuſpicatus quondam ſum, ante acceptam a Cambyſe cladem, quouis fere die, illuceſcente Sole, ſeptem reſonuiſſe vocales, ex eo nouum pro adſtruenda, quam lectori obtulimus, ſententia, adferri argumentum poſſet. †† Aſſerui, ſeptem vocales, Sacerdotibus Aegyptiorum, ſigna fuiſſe totidem Planetarum, quod ſi ita ſe habet, cantus illarum opportunus maxime cenſeri debebat tempore Aequinoctii verni. Et forte hoc ipſo tantum tempore, ſeptem vocalium cantus plenus et diſtinctus, ex ore Amenophis, ſiue Memnonis, audiebatur. Erat enim haec communior veterum ſententia †††, quam et Scriptores noſtri Eccleſiaſtici antiqui vtplurimum ſecuti ſunt, aequinoctium vernum principium extitiſſe mundi, in quo et curſus Plane-

* In *Pantheo* Lib. II. cap. II. §. 7. 8.
** Synt. I. cap. IV. §. 3.
*** PROSPER ALPINVS *de Plantis Aegypti* cap. IV. fol. 4. b.
† Supra cap. IV. §. 8.
†† Cap. IV. §. 8.
††† Vide VSSERIVM *de anno ſolari Macedonum*, Cap. II. et FRANCISCI SGORSI notas in Theophanis Ceramei Homilias, p. 441.

Planetarum ſumſerit initium, et ad quod poſt reuolutionem multorum Saeculorum iidem, in eodem ſitu et ordine, ſint reuerſuri. In eadem ſententia fuerunt quoque Aegyptii, qui idcirco initium annorum Aſtronomicum, ab illo Aequinoctio ducebant, etſi annum ciuilem auſpicarentur a Sirio, vel ortu caniculae. * *Aiebant, in hac ipſa genitura mundi, ariete medium coelum tenente, horam fuiſſe mundi naſcentis; cancro geſtante tunc lunam. Poſt hunc Sol cum leone oriebatur; cum Mercurio virgo; libra cum Venere; Mars erat in Scorpio; ſagittarium Iupiter obtinebat; in capricorno Saturnus meabat.* In vetuſto vero Chronico Aegyptiorum, ſcriptum inuenit SYNCELLVS **, poſt reuolutionem annorum 36525, ſecuturam eſſe reſtitutionem Zodiaci in priſtinum Statum, hoc eſt, in primi gradus Aequinoctialis ſigni arietis primum minutum, eamque eſſe illam Fabulis Aegyptiorum et Graecorum tantopere decantatam ἀποκατάϛασιν Zodiaci. Et hac de cauſa Aegyptii phoenicem ſuam fabuloſam, ſymbolum voluerunt eſſe Aequinoctii verni, quod etiam *** in *Tabula Bembina*, vel *Iſiaca*, ſcite videmus depictum, quandoquidem eadem Symbolum ipſis erat ἀποκαταϛάϛεως, vel magnae conuerſionis annorum. Nam † *cum huius alitis vita magni conuerſionem anni fieri prodidit Manilius, iterumque ſignificationes tempeſtatum et ſiderum easdem reuerti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum arietis Sol intraverit.* Crediderunt igitur Sacerdotes Aegyptii, in Aequinoctio verno, quando Sol ſignum arietis ingreditur, VII. Planetas curſum ſuum, ad perficiendam mundi harmoniam, auſpicatos fuiſſe, eaque de cauſa congruum ipſis videri poterat, vt hoc potiſſimum tempore, VII vocales, totidem quippe Planetarum ſigna et ſymbola, laudes Dei Opificis reſonarent. Iudicent vero eruditi, fluxeritne ex illa Aegyptiorum doctrina, quod apud †† NICOLAVM MYREPSVM Alexandrinum *de compoſitione Medicamentorum*, Sect. XXI. cap. 1. legitur in haec verba: *Qui conficit hoc thymiama, proferat has vocales* α, ε, η, ι, ο, υ, ω. *Ignoretur autem is qui conficit vna cum iis, qui illi ſeruiunt: conficitur autem Martio Menſe, Sole exiſtente in primo arietis gradu, et omniá quae dicta ſunt, ſuccedent. Si vero quis ipſum geſtet in collo, aut*

* MACROBIVS *in Somnium Scipionis* Lib. I. c. XXI. p. 76.

** In *Chronograph.* p. 52. Adde hic VIGNOLII Diſſertationem de *Anno Aegyptiaco*, in *Miſcellan. Berolin.* To. IV. p. 10. 11.

*** Videri hac de re poſſunt *Miſcellanea Berolinenſia*, T. VI. p. 146.

† PLINIVS Lib. X. cap. 1.

†† Editum inter *Medicos Principes*, HENRICI STEPHANI, col. 635.

aut ſuſpendat, neque morbum, neque incantationem vllam timebit. In quocunque autem loco aut domo decumbet, nihil in hanc incantatio aut venenum poterit.

§. 8. Dum cogitationibus hiſce indulgeo, mentem ſubit et iſtiusmodi ſuſpicio, Statuam Memnoniam, eum forte ad modum conſtructam, inque agro Thebaeorum collocatam fuiſſe, vt Sacerdotibus verum Aequinoctii verni tempus, certis indiciis ſignificaret, et quodammodo annuntiaret. Ipſum nomen *Amenophis* Aegyptium, coniecturam hanc ratione aliqua mihi ſuggerebat. Priſco certe Aegyptiorum ſermone, quod * alia occaſione expoſui, ⲁⲙⲉ, (*ame*) ſubinnuit *docere, oſtendere, annuntiare.* Eodem vero ſermone ⲛⲟⲩⲫⲓ (*nuphi*, vel *enuphi*) dicitur *bonum.* Erit igitur ⲁⲙⲉⲛⲟⲩⲫⲓ, *Amenuphi*, qui *bonum* quid, vel *laetum annunciat.* Ne tamen hic per ignem incederem cineri doloſo ſuppoſitum, ante omnia conſulendum mihi eſſe duxi, collegam meum Ampliſſimum et excellentiſſimum, IOHANNEM FRIDERICVM POLAC, Iurium et Mathematum Profeſſorem, in Viadriana noſtra celeberrimum, cuius candidum animum, raramque iſthoc aeuo amicitiam, permultorum annorum vſu, et cognitam et confirmatam, toties expertus ſum. Illi igitur, quod ſaepiſſime facere conſueni, cogitata haec mea cordate aperui, et ipſius ſuper ea re iudicium mihi expetii, quod et verbis ſequentibus conceptum, ad me perſcribere dedignatus non eſt. „De Statua Memnonis, ego, ſi quid coniectura aſſequor, ſic ſtatuo: Et primo quidem, Aegyptios, Gnomonis inſtar, ad determinanda ope vmbrae, „praecipua anni tempora, Solſtitiorum nempe ac Aequinoctiorum, eam „adhibuiſſe, facile crediderim. Non parum me in iſta id confirmat „ſententia, quod eandem ob cauſam, eruditis non immerito videantur „erectae eorum Pyramides, ad cardines Coeli exacte poſitae, quae inſuper omni poſteritati documento ſunt euidenti, quanta huius gentis „fuerit iam illo aeuo, quod ad primum merito referimus, ſcientiarum „ac artium peritia, dexteritas, et hinc nec interitura vnquam memoria. „Vrbs Thebae, apud quam collocata erat inſignis illa et memorabilis „Statua, cuius longitudinem cum ipſo Stylobata, illuſtris Anglus, Ri„chardus Pocockius, 63 pedum definit, ſecundum exactiſſimam De„ſcriptionem Regni Dauidici et Salomonaei, vna cum vicinis regionibus

Adfertur eadem de re ſententia doctiſſimi Mathematici.

* In *Pantheo*, Lib. V. cap. VII. §. 5.

„bus Syriae ac Aegypti, quam debemus inclyto illi etiam post funera „Mathematico, Iohanni Matthiae Hasio, latitudinem habet 25 Grad. „30 Minut. quae latitudo exacte conuenit cum animaduersionibus Pto„lemaei, qui in Geographia, longissimum diem Thebis, 13. horarum „et 40. minutorum spatio includit, cum Syenae paulo propius ad „ipsum Tropicum cancri vergentis, longissimus dies, horis 13, et 30 „Minutis absoluatur. Vnde intelligimus, vtramque vrbem, intra quar„tum clima, vt loquuntur Geographi, fuisse sitam. Hac nunc suppo„sita latitudine Thebarum, vel Diospolis, facile inuenitur eius eleua„tio Aequatoris, nimirum 64. Grad. 30 Minut. adeoque altitudo Solis, „in ipsis Aequinoctiorum temporibus, quae tempore solstitii Aestiui, „ad 88 gradus adsurgit, cum hyberni Solstitii tempore, eadem 41 Gra„duum sit. Quibus datis Solis altitudinibus calculo Trigonometrico „facile inuenitur vmbra Statuae in ipsa meridie, tempore Solstitii „aestiui, quae 2 pedum et 2 pollicum, tempore vero Solstitii hyberni, „72 pedum, 4 pollic. et aequinoctiorum temporibus 30 pedum, vt „itaque ipsa haec vmbrae Statuae longitudo, et indicata modo mensu„ra, Thebaeos edocere potuerit, initia et media annorum, ad quae „quam maxime dirigebantur eorum cursus. Secundo, quod Statua „Memnonis, partim ad Austrum, partim ad Solis ortum faciem habu„erit conuersam, facile me vt credam, inducit, Statuam hanc simul „effigiem fuisse ac Symbolum orientis seu noui anni: quippe quem „Aegyptii a tempore Solstitii aestiui auspicarentur. Cum enim in an„norum initiis, ad ortum heliacum Sothis, seu Sirii, vnice respicerent, „Sirius autem ipso Solstitii aestiui tempore, inter plagam Coeli meri„dionalem et Orientalem, cum ipso Sole oriatur, ad haec respexisse „verosimile est, ac veluti anni nouiter surgentis, annuntiasse auspicia. „Vtrum vero Aegyptii cultu diuino eodem Memnonem hunc prosecuti „fuerint, quo a Romanis quondam affectum fuisse Ianum, nouimus, „haud audacter affirmauerim.„ Hucusque vir doctissimus. Ea vero adeo ingeniosa bonaeque frugis plena mihi visa sunt, vt nihil inuenire aut excogitare queam, quod meliorem et opportunum magis opusculo huic meo imponat

FINEM.

Digitized by Google

Digitized by Google

W 2 3 1933

Digitized by Google

Digitized by Google